

1655

## Regulæ Communes: Codex Sarzana 1

Follow this and additional works at: [https://via.library.depaul.edu/cm\\_textesnorm](https://via.library.depaul.edu/cm_textesnorm)

---

### Recommended Citation

Regulæ Communes: Codex Sarzana 1.  
[https://via.library.depaul.edu/cm\\_textesnorm/14](https://via.library.depaul.edu/cm_textesnorm/14)

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in Textes Normatifs by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact [digitalservices@depaul.edu](mailto:digitalservices@depaul.edu).

1-1

## **Regulae communes, et Constit[utio]nes Congregationis Missionis**

### **De Fine, et instituto Congregationis**

Cum D[omi]nus noster Iesus X[rist]us, missus sit in mundum ut uoluntatem Patris sui faceret semper, euangelizaret pauperibus, et daret Apostolis, eorumque successoribus scientiam salutis in remissionem peccatorum; et minima Congregatio Missionis instituta sit, ut peculiari ratione, et pro uirium tenuitate sequatur uestigia eius, conueniens est praecipuum illius finem esse. Primo adimplere similiter uoluntatem Dei in omnibus; secundo euangelizare pauperibus, maxime ruricolis; tertio iuuare ecclesiasticos ad acquirendam scientiam sanctorum, qua dirigant populos in uiam salutis.

Haec Congregatio ecclesiasticis, et laicis constat. Ecclesiasticorum munus est, exemplo ipsius Christi et Discipulorum, oppida et pagos perlustrare, in iisque praedicando et cathedrae iudicando, uerbi diuini panem paruulis ad captum populi frangere, confessiones generales totius antea uitae suadere, et excipere, iurgia et lites componere, Confraternitatem charitatis instituere, seminaria externorum in nostris domibus erecta regere, et in illis docere; exercitia spiritualia tradere, conferentias ecclesiasticorum externorum apud + 1 + nos dirigere, aliaue munia, ad quae prouidentia diuina nos uocabit, obire. Laicorum uero partes sunt, ecclesiasticos in supradictis omnibus ministerijs, Marthae officio

2-2

fungendo, prout eis a Superiore praescriptum fuerit, necnon suis orationibus, lacrymis, mortificationibus, et exemplis cooperando, adiuuare.

Ut autem haec Congregatio finem, quem sibi proposuit, diuina aspirante gratia, attingat, necesse est, ut totis uiribus spi-

ritum Christi induere nitatur, qui maxime elucet in euangelica doctrina, in eius paupertate, castitate, et obedientia; in charitate erga infirmos, in modestia, in forma uiuendi, et agendi quam tradidit discipulis, in conuersatione, in quotidianis pietatis exercitijs, et in missionibus, alijsque munijs erga populos obeundis, quae omnia sequentibus capitibus continentur.

### **De Documentis Euangelicis**

Ante omnia, stabilire se in hac ueritate singuli conabuntur, doctrinam Christi nunquam posse fallere, quae uero est mundi, semper esse fallacem, cum ipsemet Christus affirmet hanc esse similem domui aedificatae super arenam, suam uero comparari aedificio fundato supra firmam petram. Idcirco, Congregatio semper iuxta ipsius Christi, nunquam uero mundi, documenta, agere profitebitur.

Quoniam inter euangelica axiomata, illud est ex primis, Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adijcientur Uobis, Congregatio spiritualia, temporalibus, salutem animae, corporis santitati, gloriam Dei, mundi uanitati anteferre profitebitur; quin etiam inopiam, infamiam, cruciatus, ipsamque mortem sibi magis, cum Diuo Paulo eliget, quam separari a charitate Christi. Propterea non erit sollicita de bonis temporalibus, imo iactabit super Dominum \curam\

3-3

curam suam, pro certo habens, quot quandiu in hac charitate radicata, et hac spe fundata erit, semper in protectione Dei coeli commorabitur, et sic non accedet ad eum malum, et non deficiet omni bono, etiamsi sua omnia iam fore peritura arbitraretur.

Cum finis primarius Congregationis in uoluntate Dei in omnibus facienda consistat, atque idipsum recte praestitum, certum sit medium quo efficitur ut perueniat in Nos Regnum Dei, et per nos in proximos, unusquisque pro uiribus nitetur hoc exercitium sibi familiare reddere quod perfecte praestabit. Primo iussa diuina, et humana adimplendo, secundo prohibita fugiendo, tertio inter

indifferentia quae sensibus minus irridet, eligendo quarto repugnantia aequanimiter tolerando, ea omnia exequendo, ut beneplacitum diuinum cum Christo in omnibus adimpleat.

Cum Dominus Iesus a nobis exigit columbae simplicitatem, quae consistit tum in nuda declaratione rerum, ut se habent in corde, et absque inutilibus reflexionibus, tum in rebus sine fucis, aut artificio agendis, Deum solum intuendo. Ideo Congregatio enixe operam dabit, ut omnia in eodem spiritu simplicitatis perficiat, considerans Dei sermocinationem esse cum simplicibus, necnon secreta coelestia abscondisse sapientibus et prudentibus huius saeculi, et reuelasse ea paruulis.

Sed quoniam Christus, dum columbae simplicitatem commendat, prudentiam serpentis simul praecipit amplecti, et haec est uirtus, qua discrete loquimur et operamur, idcirco prudenter ea reticebimus, quae

4-4

non expedit reuelare, maxime cum ex se uitiosa et illicita sunt, et ex ijs, quae aliquo modo sunt bona, aut licita, rescindemus circumstantias quae contra honorem Dei, aut in damnum proximi uergunt, aut cor nostrum ad inanem gloriam possunt inclinare. Cum autem haec uirtus, in agendis, uersetur circa electionem mediorum, quae ad finem suum consequendum sunt idonea, ideo apud nos sanctum, et inuiolatum erit semper uti medijs diuinis, ad res diuinas, et de rebus sentire, ac iudicare iuxta sententiam, et iudicium Christi, nunquam uero mundi, neque etiam secundum imbecillum intellectus nostri ratiocinationem, et sic erimus prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Omnes etiam magnam adhibebunt diligentiam in addiscenda hac lectione a Christo tradita. Discite a me quia mitis sum, et humilis corde attendentes, ut ipsemet asserit, mansuetudine possideri terram, quia huius uirtutis exercitio corda hominum conciliantur, ut ad Dominum conuertantur, quod noll praestant, qui cum proximo durius, et asperius agunt; humilitate uero coelum acquiri, qua amor propriae abiectiois solet exaltari, deducens quasi per

gradus de uirtute in uirtutem, donec illuc perueniatur.

Sed haec humilitas, quam Christus ipse tam saepe nobis, et uerbo et exemplo commendauit, et ad quam acquirendam Congregatio debet omnem operam insumere, tres has condiciones exigit, quarum prima \est\

5-5

est, se hominum uituperio dignum cum omni sinceritate reputare; secunda, quod alij imperfectum nostrum uideant, et nos inde contemnant; tertia, si Dominus per nos, aut in nobis aliquid operetur, illud, si fieri possit, occultare ad aspectum propriae uilitatis; si autem id fieri non possit, totum diuinae misericordiae, et aliorum meritis attribuere, et hoc est uniuersae euangelicae perfectionis fundamentum, nodusque totius spiritualis uitae. Ei, qui humilitatem istam possidebit, omnia {alia} bona uenient pariter cum illa, qui uero ea carebit, etiam quod habet boni auferetur ab eo, continuisque cruciabitur angustijs.

Cum Christus dixerit, Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, unusquisque in illud incumbere sine intermissione debet, assidua scilicet propriae uoluntatis, proprijque iudicij abnegatione, sensuum quoque omnium mortificatione in rebus tum licitis, tum illicitis, ijs maxime quae documentis euangelicis magis opponuntur.

Immoderato pariter in propinquos amoris omnes renunciabunt, iuxta consilium Christi, e numero discipulorum suorum eos excludentis, qui non oderint patrem, et matrem, fratres, et sorores; centuplumque nunc in hoc mundo, et in altero uitam aeternam promittentis si eos propter euangelium reliquerint; quibus ostenditur quantum Christianae perfectioni impedimentum sint caro, et sanguis; parentes tamen spirituali amore, et secundum Christum amandi sunt.

Omnes ei indifferentiae, quam Christus, ac Sancti tantopere coluerunt, singulari diligentia studebunt, ita ut neque ministerijs, neque personis, neque locis, praesertim patriae,

6-6

neque ulli huiusmodi rerum, ullo unquam affectu inordinato adhaerescant; imo sint parati, ac prompti haec omnia ad Superioris uoluntatem, nutumque libenter deserere, omnemque circa illa repulsam ac mutationem ab ipso procedentem, aequo animo patiantur, illumque bene omnia fecisse in Domino fateantur.

In honorem communis uitae, quam Christus Dominus ducere uoluit, ut alijs conformis fieret, et hoc pacto facilius Deo Patri eos lucrifaceret, omnes singularitatem fugient in ijs omnibus, quae se conspicuus alijs possent reddere, maxime circa uictum, et uestitum necnon pia exercitia, ac particulares opiniones, intelligentque nobis non licere singulares esse praeterquam in exactissima Regularium, ac Constitutionum nostrarum obseruatione. Atque in hoc totum negotium perfectionis, ad quam uocati sumus solummodo uersari. Id quod idem Christus suo etiam exemplo nos docuit, cum ipso non nisi in adimplenda lege, mandatis paternis exequendis, ac uirtutibus, quas alijs commendabat, exercendis, fuerit singularis.

Actus charitatis erga proximum apud nos incessanter uigebunt, quales sunt, alijs facere quod nobis iuste fieri ab ijs uellemus. Secundo, alijs assentiri, ac omnia in Domino probare. Tertio se inuicem supportare sine murmuratione. Quarto flere cum flentibus. Quinto gaudere cum gaudentibus. Sexto se inuicem honore praeuenire. Septimo, sese alijs beneuolum, et officiosum ex imo corde praestare. Denique omnibus omnia nos facere, ut omnes Christo lucrifaciamus. Quae omnia intelligenda sunt, dummodo nihil contra \diuina\

7-7

diuina praecepta, aut nostrae Congregationis Regulas, ullo modo agatur.

Si quando contingat Congregationem, aut aliquam domum, uel aliquem ex eius subditis, calumnia uel persecutione gratis impugnari, ac exerceri, diuina prouidentia id permittente, de hoc ipsum Deum laudabimus ac benedicemus, et tanquam de bono optimo,

et dono perfecto, descendente a Patre luminum, ipsi gratias cum exultatione agemus. Omne gaudium existimantes cum in uarias tentationes inciderimus; et quisque pro uiribus cauebit ab omni querela, maledictione, aut ulla uindicatione in eos, qui nos calumniabuntur, aut persequentur; imo pro illis omnibus orabit, illisque si potest fieri, benefaciet. Haec nos docuit Christus uerbo et exemplo, sicut et Apostoli de quibus scriptum est: Ibant gaudentes a conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Quamuis praefata omnia euangelij documenta, tanquam sanctissima, ac utilissima, quantum in nobis est, obseruare debeamus; quia tamen quaedam ex illis nobis magis conueniunt, illa scilicet, quae peculiari ratione simplicitatem, humilitatem, mansuetudinem, mortificationem, et zelum animarum commendant. Congregatio his colendis, atque exercendis accuratius incumbet, ita ut hae quinque uirtutes sint ueluti anima totius Congregationis, omnesque singulorum actiones animentur illis, ac condiantur.

Et quoniam Sathanas ab istorum documentorum exercitio, sua ijs prorsus contraria opponendo, nos semper

8-8

auocare nititur, ideo maximam quisque adhibebit prudentiam, ac uigilantiam, ad illa omnia fortiter et animose oppugnanda, ac deuincenda, ea maxime quae magis Instituto nostro repugnant, qualia sunt; Primo, prudentia carnis, secundo uelle uideri ab hominis, tertio, appetere, ut quisque nostro iudicio, ac uoluntati semper subijciatur, quarto, querere in omnibus suae naturae satisfactionem quinto insensibilitas erga honorem Dei, et salutem proximi.

Cumque malignus spiritus persaepe se in Angelum lucis transfiguret, suisque interdum illusionibus nos decipiat, omnes sibi diligenter ab ijs cauebunt, modumque eas discernendi, ac superandi addiscere studebunt. Cumque experimenti compertum sit praesentissimum, ac tutissimum esse remedium in hoc casu, quam citissime rem aperire ijs, qui a

Deo sunt ad hoc deputati. Idcirco cum quis se cogitationibus, aliqua illusionem suspectis, siue graui angustia, aut tentatione uexari senserit, quamprimum poterit id Superiori, aut Directori ad id designato patefaciet, ut congruum adhibeatur remedium quod quisque tanquam de manu Domini recipiet, et approbabit, ac sibi cum fiducia, ac reuerentia applicabit. Ante omnia cauebit ne ulli, unquam siue domesticus, siue externus ille sit, rem ullo modo manifestet, cum experientia constet huiusmodi manifestatione malum fieri deterius, alios eiusdem mali contagione infici et tandem ipsam\

9-9

ipsam Congregationem in euidens ruinae periculum adduci.

Et quoniam unicuique mandauit Deus de proximo suo, et nos inuicem utpote eiusdem corporis mystici membra, iuuare debemus; ubi quis nouerit alium quem graui tentatione uexari, uel in culpam notabilem incidisse, de his absque mora in spiritu charitatis, et humilitatis Superiorem admonebit. Quisque etiam ad maiorem profectum, contentus erit ut omnes sui defectus eidem Superiori in eodem spiritu manifestentur per quemuis qui extra confessionem eos obseruauerit.

Cum Dominus noster uenerit in mundum, ut in animas imperium Patris sui repararet, illas scilicet eripiendo a daemone, qui eas inordinata diuitiarum, honoris, et uoluptatis cupiditate callide decipiendo, rapuerat. Congruum censuit benignus hic Saluator cum suo aduersario contrarijs armis scilicet, paupertate, castitate, et obedientia certare, ut fecit usque ad mortem. Cumque minima Congregatio Missionis in Ecclesia Dei in eum finem surrexerit, ut animarum saluti maxime pauperum ruricularum inseruaret, nullis utique fortioribus, et aptioribus armis uti potest, quam iisdem, quibus Sapientia aeterna tam faciliter, tamque utiliter usa est. Quapropter nostri Missionarij se huiusmodi paupertatem, castitatem, et obedientiam perpetuo, et fideliter seruare in Domino profitebuntur.



## De Paupertate

Cum igitur ipse Christus, uerus uniuersorum Bonorum

9-10

Dominus ita paupertatem amplexus fuerit, ut non haberet ubi reclinaret caput suum, eosque qui secum in missionibus laborauerunt, Apostolos scilicet, et discipulos, in pari inopiae gradu constituerit, ita ut nihil proprium haberent, et sic expediti, cupiditatem diuitiarum, quae totum fere mundum perdit, melius, ac commodius expugnarent, omnes et singuli hanc uirtutem exactissime obseruabunt, certo scientes hanc fore inexpugnabile propugnaculum, quo Congregatio, diuina aspirante gratia, perpetuo conseruabitur. Ideo nemo quicquam tamquam proprium habebit, imo quisque conabitur sibi semper quicquam uilius, ac pauperi conuenientius fuerit eligere. Nullaque re tanquam propria utetur nihil mutuo dabit, aut accipiet, nec dispensare quicquam de his quae domi sunt, unquam poterit sine Superioris consensu.

Nemo pecuniam apud se retinebit, apud alios uero non modo pecuniam, sed nec aliud quicquam habebit sine superioris facultate.

Nemo sine licentia libros habebit, in ijs uero, quorum usus sibi fuerit permissus, nec scribet quicquam, nec ullam imprimet notam.

Nemo ex ijs quae usui sunt alijs, quicquam usurpabit aut ab externis quocumque modo pro se, aut pro alio accipiet sine Superioris facultate.

Cubicula nostra nunquam erunt obserata, nec in ijs ulla arca, siue quicquam aliud pariter obseratum asseruabitur, sine Superioris licentia. \Nemo\

10-11

Nemo ex una domo in aliam pergens, quicquam secum asportabit sine Superioris licentia.

Nemo ad ullum beneficium aspirabit, neque dignitatem ullam, aut officium siue in ipsa Congregatione siue extra, unquam ambiet.

## **De Castitate**

Saluator Mundi, quanti castitatem coleret, quamque ardentem illam in corda hominum insinuare cuperet, euidenter significauit, cum per operationem Spiritus sancti supra naturae leges, de Uirgine intacta nasci uoluerit, et dixerit, qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam maechatus est in cordi suo; et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te; et a uitio opposito ita alienus hominibus apparuit, ut quamuis atrocissima crimina falso illi imputata fuerint, nusquam tamen impudicitiae, ne dicam accusatione, sed ne quidem suspicione ulla, a suis etiam infensissimis hostibus notatum fuisse legamus. Ideo multum interest ut Congregatione singulari huius uirtutis acquirendae desiderio exardescat, eamque perfectissime colere semper, et ubique profiteatur, quod tanto magis nobis cordi esse debet, quanto strictius ad fere continuam cum saecularibus utriusque sexus conuersionem, nos Missionis exercitia addicant. Quapropter quisque in castitate tum corporis, tum animi integre conseruanda, omnem curam, diligentiam, ac praecautiorem adhibebit, nullaque media, quae ad hoc conducere nouerit praetermittet. Ideoque sensus tum {exte-} interiores, cum exteriores uigilantissime custodiet,

1 1-12

mulieres nunquam solus cum sola alloquetur; illas alloquendo, uel ad eas scribendo, a uerbis, tenerum erga eas amorem redolentibus omnino abstinebit; illarum confessiones audiendo, sicuti etiam extra confessionem colloquendo, numquam ad eas proprius, accedet. Et quoniam intemperantia est ueluti mater et nutrix impuritatis, idcirco quisque in esu erit temperans, cibisque communibus, et uino non nisi aqua plurima diluto utetur.

Deinde, omnes sibi persuadebunt, Missionarijs nequaquam sufficere supremum huiusce uirtutis gradum attigisse, imo praeterea requiri, ut totis uiribus conentur

ne ullus hominum, de aliquo nostrorum, uel leuissimam uitij contrarij suspicionem possit unquam concipere; haec enim sola suspicio, etiamsi omnino iniusta, plus obsesset Congregationi, quam alia crimina falso nobis imputata. Quare ad malum hoc praeueniendum, aut tollendum, omnibus quae occurrere poterunt, medijs non modo ordinarijs, uerum etiam, extraordinarijs utemur, ut est, interdum ab operibus non tantum licitis sed etiam pijs, et sanctis, abstinere si ita in Domino expedire uidebitur.

## **De Obedientia**

In honorem obedientiae, quam Dominus noster Iesus Christus uerbo, et exemplo nos docuit, cum beatissimae Uirgini, beato Iosepho, necnon et alijs personis in dignitate constitutis tum bonis, tum discolis\

12-13

discolis, subditus esse uoluit. Omnibus et singulis praepositis nostris ipsos in Domino, et Dominum in ipsis attendentes exacte obediemus, in primis Sanctissimo Domino nostro Papae reuerentiam et obedientiam fideliter et sincere praestabimus, obedientiam quoque illustrissimis ac reuerendissimis Dominis nostris Episcopis, in quorum dioecesibus instituta fuerit Congregatio humiliter, et constanter exhibebimus in omnibus functionibus, quae proximum spectant iuxta Instituti nostri regulas, ut serui illi euangelici Dominis suis, adeo ut ad eorum libitum eamus, et redeamus, et quaecumque praeceperint exequamur nihilque in eorum dioecesibus sine eorum licentia erga proximum suscipiamus, ita ut nunquam ab hac obedientia sub quocumque praetextu dispensari, aut immunes esse possimus. Praeterea nihil in ecclesijs parochialibus aggrediemur absque parochorum consensu.

Omnes etiam Superiori Generali obedient prompte, hilariter, et perseueranter, in omnibus ubi peccatum non apparet, et caeca quadam obedientia proprium iudicium, propriamque uoluntatem submittentes, idque non solum quoad eius uoluntatem ipsis notam, sed etiam

quoad eius intentionem existimantes illud semper melius esse quod ipse praecipit, et sese illius dispositioni, quasi limam in manibus fabri committentes, item admonitiones ab ipso sibi datas, ac paenitentias impositas cum humilitate recipientes.

Et haec obedientia caeteris Superioribus tam particularibus quam Uisitoribus, necnon officialibus subordinatis pariter exhibenda erit. Quisque etiam campanae

13-14

sono ut uoci Christi obedire conabitur, ita ut ad primum eius signum, uel ipsam imperfectam literam relinquere studeat.

Nemo literas scribet, mittet, aut aperiet absque facultate Superioris cui scriptas ipse dabit, ut eas, uel mittat, uel retineat prout sibi uisum fuerit.

Nemo extra consueta tempora cibum aut potum sumet absque Superioris licentia.

Licet pia illa consuetudo nil petendi, nihilque recusandi apud nos semper uigere debeat, tamen, cum quis nouerit aliquid sibi esse, uel nociuum, uel necessarium id coram Domino examinabit utrum idipsum Superiori aperire debeat uel non, et se indifferentem habebit quoad responsum futurum, et hoc pacto dispositus rem Superiori declarabit, tenebitque pro certo uoluntatem Dei sibi significari per uoluntatem Superioris qua cognita acquiescet.

Nemo ab uno Superiore repulsam passus, alium Superiorem adibit super ea re, nisi prius repulsa, et repulsae causa illi significata.

Nemo publice concionabitur, aut catechizabit sine Uisitoris facultate.

Nemo librum componet, aut ex una lingua in alteram uertet, et in lucem edet sine approbatione expressa et facultate Superioris Generalis.

Nemo ex coadiutoribus nostris ad studium latinae linguae aspirabit. Quod si quis in se tale desiderium senserit

illud protinus tanquam a maligno spiritu procedens qui speciosa superbia zelo animarum uelata ipsos perdere intendit, nitetur extinguere. Legere /aut/

14-15

aut scribere non addiscent sine expressa Superioris generalis licentia.

Nemo opus sibi commissum deseret, licet aliquo superueniente negotio impeditus, nisi prius admonito Superiore.

Omnes in locum assignatum tempore statuto conuenient ut quae circa ordinem domesticum monenda sunt a Superiore audiant, et si quid habent proponendum illi proponant.

Nemo quicquam alijs praecipiet, aut ullum reprehendet nisi ad hoc a Superiore deputatus sit.

Nemo in alterius officium, aut ministerium se ingeret.

Nemo in locum alieno officio destinatum ingrediatur absque licentia Superioris, aut Praefecti illius loci in rebus necessarijs .

Nullus abs[que] facultate Superioris generali aut speciali in cubiculum alterius intrabit, neque illud aperiet, quin ei responsum fuerit, ingredi; quando autem una erunt, tandiu ianua patebit.

Nemo etiam alios maxime externos, in cubiculum suum introducet, nisi accepta ab eodem Superiore licentia.

Nullus confessiones tam nostrorum, quam externorum audiet, nisi designatus a Superiore Generali, aut Uisitatore, et a Superiore particulari ad id applicatus fuerit.

### **De ijs, quae ad Infirmos spectant**

Cum inter caetera, quae Christus operabatur, frequentiusque commendabat ijs, quos in uineam suam mittebat, hoc unum ex praecipuis fuerit, infirmorum, maxime pauperum cura ac uisitatio. Ideo Congregationi

15-16

peculiaris erit cura, illos non solum domesticos, uerum etiam externos cum Superioris consensu inuisendi, ac subleuandi, illis tum corporalia, tum spiritualia subsidia, quae commode poterunt subministrando, idque praesertim in missionibus singularem potissimum curam in Confraternitate charitatis erigenda ac uisitanda adhibendo. Ubi cumque infirmum aliquem, siue domi, siue extra domum, uisitabunt, illum non ut hominem, sed ut Christum ipsum, tale sibi obsequium praestari asserentem, spectabunt, ideoque quilibet se ibi modeste geret, ac submissa uoce loquetur, et de rebus, quae ipsum exhilarare et consolari, necnon circumstantes aedificare possint.

Infirmi quoque domestici sibi persuadebunt se non solum in ualeudinario, et lecto detineri, ut remedijs curentur, ac sanentur, sed etiam ut uirtutes christianas maxime patientiam, conformitatem cum diuina uoluntate, ac obedientiam uelut ex suggestu, suo saltem exemplo, edoceant; et sic, omnibus se inuisentibus, sibi que ministrantibus Christi bonus odor sint, adeo ut uirtus ipsorum in infirmitate perficiatur. Cum autem inter caeteras uirtutes, quae in aegrotis requiruntur, obedientia sit etiam multum necessaria, ideo medicis, non tantum spiritualibus, sed etiam corporalibus, tum infirmario, alijsque ad sui curam destinatis exactissime illam exhibebunt.

Et ne quis circa infirmos abusus subrepat, omnes qui se male affectos sentient, id Superiori, uel Praefecto sanitatis, aut Infirmario significabunt. Nemo uero \medicinam\

16-17

medicinam ullam sumet, aut medico nostro utetur, aut alium consulat, nisi cum Superioris approbatione.

### **De Modestia**

Tanta in Christo Domino elucebat modestia, ut usque ad interiora deserti ad se attraheret multa populorum milia, quo ipsius aspectu fruerentur, uerbaque uitae aeternae,

quae procedebant ab ore eius audirent, ita ut, cibi, potusque necessarij sumendi obliuiscerentur, hanc amabilem uirtutem in tanto magistro imitari debent Missionarij, qui, cum ex Instituto suo teneantur cum proximo suo frequenter agere, timere debent semper ne quod functionibus, et ministerijs suis in Domino aedificauerint, id malo suo exemplo destruant. Quapropter omnes lid,l quod D[iuus] Paulus primis Christianis commendabat Modestia uestra nota sit omnibus hominibus, diligentér obseruabunt. Ut autem coram alijs modesti esse ualeant, unusquisque priuatim se in hac uirtute exercebit. Idcirco praeter regulas part[icul]ares modestiae in Congregatione praescriptas, has sequentes obseruabit.

Imprimis ab inordinata oculorum euagatione abstinebunt praesertim in templo, in mensa, et in publicis actionibus, efficientque ut nihil leue, aut puerile in gestu, nihilque affectatum, aut seculare in incessu appareat.

Nemo e cubiculo nisi decenter uestitus egredietur.

Nemo absque indusio, aut non sufficienter coopertus, aut fenestra aperta noctu dormiat.

Cauebunt omnes ne se inuicem, etiam per iocum tangant nisi quando in signum charitatis, et causa salutationis se mutuo amplecti conuenit, cum scilicet quis peregre egreditur, aut regreditur, recens admissus in Congreg[atio]ne.

17-18

Omnes domum ingressuri, aut egressuri aduertent ne tintinnabulum immodeste, et crebrius pulsent.

Quisque honestae illius munditiei seruandae, praesertim in uestibus studiosus erit, ab illa uero quae est nimis exquisita, aut affectata omnino abstinebit.

Quisque pauperem suam, et hanc paucissimam supellectilem mundam, ac bene dispositam seruabit in cubiculo, quod etiam tertio quoque die scopis euerret, ac lectum mane surgendo decenter componet, nisi propter eius infirmitatem, aut negotium aliquod, alius ad id suffectus sit a Superiore.

## **De mutua nostrorum conuersatione.**

Cum Christus Saluator noster Apostolos, ac Discipulos in unum congregasset, certas ipsis recte conuiuendi regulas tradidit, cuiusmodi sunt, ut se inuicem diligerent, alter alterius pedes lauaret, si quid haberet alter aduersus alterum iret statim reconciliari fratri suo, bini incederent, denique si quis uellet inter eos esse maior, minor fieret. Idcirco nostra minima Congregatio, Christi, et Discipulorum uestigijs insistere cupiens, sequentes regulas obseruare studebit.

Ut charitas fraternitatis, ac sancta unio semper maneat in nobis, et omnimode conseruetur, singuli se inuicem magna reuerentia prosequantur, in morem tamem charorum amicorum inter se semper conuiuentes; particulares autem amicitias perinde ac auersiones diligenter uitabunt. Cum haec esse originem diuisionum, ac ruinam Congregationum experimento compertum sit.

Omnem contentionis speciem etiam per modum recre- /tionis/

18-19

tionis omni diligentia uitabunt, quinimo idem sapere, ac sentire cum alijs profitebuntur, aliorumque sententiam suae in omnibus non illicitis interponent. Si quis tamen circa rem propositam diuersae fuerit sententiae, rationes suas in spiritu humilitatis proferet. Inprimis autem caebunt omnes ne inter colloquendum quicquam moleste aut aegre ferre, aut se offensos in aliquem ostendant, aut uerbis, uel factis, aut alio quouis modo laedant.

Omnes singularem, ut decet honorem Superioribus bebunt, ijsque caput aperient, et caebunt ne eosdem Superiores se alloquentes interpellent, aut quod peius est illis resistant uerbo. Omnes pariter caput aperient sacerdotibus, seminaristae, et discipuli suis directoribus, et praeceptoribus; sacerdotes etiam sese inuicem hoc honore praeuenire in Domino studebunt. Nemo dum mensae accumbit, cuiquam praeter Superiori, uel alicui externo insigniori aperiet caput.



In publicis discordijs et bellis, quae inter principes christianos oriri possunt nullus se in alterutram factionis partem inclinari significabit, ad imitationem Christi qui inter litigantes fratres esse arbiter, et de iure principum iudicare noluit, id unum praedicans, illis redenda esse quae sua sunt, et ideo quisque a colloquijs de rebus ad Regna, et Prouincias, aliaque negotia saecularia pertinentibus, maxime de bello, et Principum contentionibus, caeterisque id genus rumoribus saeculi longe aberit, nec de illis omnibus quemquam ullo modo scribat.

Nemo in malam partem de alijs nationibus, uel prouincijs loquetur.

19-20

Nemo aliorum, maxime Superiorum famam uel leuiter attinget, aut de illis unquam conqueretur nec quicquam quod in ipsa Congregatione fiat, uel dicatur sicut nec in alijs Congregationibus censura notabit.

Nemo de uictu, uestitu, et cubitu conqueretur, aut etiam colloquetur, nisi ratione sui officij ad id obligatus sit.

Nemo de administratione domus curiose inquiret aut de ea cum alijs sermonem habebit, aut contra regulas Congregationis, uel Constitutiones, uel pias etiam consuetudines siue directe, siue indirecte unquam loquetur.

Omnes summae Religioni ducent, seruare secretum circa ea quae dicuntur in capitulo, quoad culpas, et poenitentias.

Catalogus ille qui diuersas materias in colloquium adducendas continet, argumenta colloquendi in nostris recreationibus, ac conuersationibus, quoad fieri poterit, semper suppeditabit.

In mutuis colloquijs, ad amorem nostrae uocationis et desiderium propriae perfectionis, nos inuicem inuitabimus, semper uirtutem laudantes, et mortificationem, earumque partes aduersus eos qui sinistre de illis loquuntur, humiliter, ac suauius

in Domino defendentes. Quod si qua ex illis nostro sensui repugnet, id Superiori, uel Directori dumtaxat aperiemus; inprimis autem cauebimus ne alijs siue palam, siue priuatim id unquam detegamus.

Silentium extra recreationis tempus seruabitur, \ita\

20-21

ita ut extra illud nemo loquatur nisi de rebus necessarijs, idque perpaucus, et uoce submissa, maxime in ecclesia, in sacristia, in dormitorio, et in refectorio, praesertim dum mensae discumbitur. Si tamem alicui accumbentium quicquam deest, is qui assidet, uno uerbo, si nutu, alioque signo id non possit, eum qui ministrat admonebit. Quocumque autem tempore omnes semper demissa uoce loqui conabuntur.

Nemo ex nostris cum seminaristis, aut cum scholasticis, alijsque, etiam sacerdotibus, qui biennium ab egressu e seminario nondum expleuerunt, colloquium sine Superioris facultate unquam habebit, nisi ad illos salutandos usitata salutatione.

Ad maiorem silentij obseruationem attendet unusquisque ne dum in cubiculo, uel per domum incedit, uel etiam ianuas aperit, aut claudit praesertim noctu strepitum edat.

### **De conuersatione cum externis**

Praeter regulas, quas Saluator noster dedit Apostolis, scipulis suis de ratione inter se conuersandi, adiunxit quaedam praecepta de modo recte se gerendi cum proximo, cum Scribis, et Pharisaeis, cum Praesidibus quando ad eorum sinagogas, et tribunalia ducerentur, et quomodo tandem cum ad conuiuia uocarentur. Quapropter ad eius exemplum quasdam regulas communicandi cum externis similiter habebimus.

Etsi Institutum nostrum ad frequentem saecularium usum maxime in missionibus, nos astringat, eos

tamen non adibimus, nisi cum obedientia, aut necessitas uocauerit, et tunc memores erimus huius

21 -22

uerbi Domini, Uos estis lux mundi; ut scilicet solis lucem imitemur, quae et illuminat et calefacit, et quamuis per immunda transeat, nullam tamen suae puritatis iacturam patitur.

Omnes a litibus externorum sollicitandis, a legatis testamentarijs exsequendis, a commercijs, et matrimonijs tractandis, ac similibus saeculi occupationibus diligenter cauebunt, iuxta consilium Apostoli, nemo militans Deo, implicat se negotijs saecularibus.

Domi nemo loquetur cum externis, aut alios e nostris ad id uocabit sine facultate Superioris.

Nemo ullum externum ad mensam inuitabit sine Superioris licentia.

Nemo piorum etiam negotiorum suscipiet curam, aut ad ea gerenda operam suam promittet, aut ad id se propensum ostendet sine Superioris facultate.

Nemo domo egredietur nisi quomodo, quando, et quo uisum fuerit Superiori, cuius erit socium designare, nisi ad id alium deputauerit. Is uero qui in socium datus est, primas alteri cedit, eumque prae loqui sinet.

Cum quis facultatem a Superiore petierit aliquo eundi, simul etiam ei aperiet, quod et cuius causa ire uelit; et statim atque domum redierit, eorum quae gesserit, ei rationem reddet.

Nemo praeterquam consueta domus ianua ingredietur aut egredietur nisi necessitas, aut Superioris licentia in hoc dispenset.

Qui domo egredientur, etiam qui facultatem habent egrediendi, et regrediendi per posticum, aut per Templum, nomini suo notam apponent, et admonebunt

22-23

bunt ianitorem quando redibunt, ut ijs a quibus peterentur, possit satisfacere. Ante lucem non egredientur, et ante noctem domum se recipient. Ingressi ante omnia notam suo nomini appositam auferent.

Nemo cuiusquam externi ad domesticum, aut domestici ad externum mandata aut literas, deferet sine Superioris consensu.

Nemo Regulas seu Constitutiones domus externis communicabit sine expressa Generalis, aut Uisitatoris facultate, admittendis autem poterunt ostendi cum licentia Superioris particularis, idque tempore exercitiorum spiritualium, et aliquando prius si ita expedire in Domino uidebentur.

Nemo extra domum cibum, aut potum sumet absque Superioris licentia, praeterquam dum peregre proficiscitur.

Nullus iter faciens, et transiens per locum ubi sit domus Congregationis ad aliud hospitium, quam ad illam diuertet, et ita Superioris qui illic praest obedienciae subijcietur, sicut et ille qui ad negotia gerenda illuc uenerit, nihilque ibi nisi de eiusdem Superioris consilio, et directione, uel Uisitatoris, si ibi aliquo tempore permanserit, tractabunt. Superior tamen alterius domus erga socium quem domo sua secum duxerit, quoad confessionem, et directionem suam retinebit superioritatem.

De pijs exercitijs in Congreg[atio]ne obseruandis .

Christus Dominus, eiusque discipuli sua habebant pia exercitia cuiusmodi erant, statutis diebus ad

23-24

Templum ascendere, aliquoties in solitudinem secedere, orationi uacare, et alia similia; rationi itaque consonum est ut haec parua Congregatio suas quoque habeat spirituales exercitationes, quibus obseruandis diligentissime incumbet, caeterasque nisi necessitas, aut obediencia id uent, postponet quippe quae ad caeterarum regularum ueram obseruationem, et ad propriam perfectionem efficacius conducant.

Cum iuxta Bullam Institutionis nostrae sanctissimam Trinitatem, Incarnationis mysterium, et Beatissimam Uirginem Dei Matrem Mariam peculiari cultu uenerari debeamus, hoc accuratissime, congregatio adimplebit, idque tribus saltem sequentibus modis, primo eorum festa scilicet Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis Domini, et Assumptionis Beatae Mariae Uirginis cum solemnitate et maxima qua poterimus deuotione celebrando. Secundo, praeter cultum quem quisque priuatim illos exhibere poterit, adorationes, et Laudes quae tum in Missa, et officio diuino, tum in precibus communibus et quotidianis, ad eorum honorem specialiter dirigentur, singulari affectu attendendo. Tertio horum notitiam et honorem et obsequium animi populorum ingenerare ubicumque poterimus siue instructionibus nostris siue exemplis toto conatu contendendo.

Et quoniam, sanctissimum Altaris sacramentum in se ueluti summam omnium mysteriorum nostrae fidei continet, et ex cultu illi debite \red-\

24-25

reddito nostra salus, et totum ecclesiae bonum aliquatenus dependet, eximium, et indeficientem honorem erga illud profitebitur Congregatio, et mente sollicita, et indefessa sataget, ut ab omnibus tanto huic sacramento debitus honor et reuerentia tribuatur, ijs saltem obsequijs quibus illud colere solita est quae inter caetera sunt haec. Primo illud frequenter uisitare, secundo, ubicumque fuerimus dum defertur uel deferri campanulae sono admonemur, flexis genibus adorare, ac si fieri possit, concomitari. Tertio, quoties eius sacrum nomen pronunciat, caput reuerenter aperire. Quarto, ecclesias praetereundo haec uerba capite etiam aperto dicere, Laudetur sanctissimum Altaris Sacramentum. Quinto, et {praecipe} lpraecipuel alios quod de hoc tanto misterio crede-

re; et quomodo uenerari debeant, instruere et ne circa illud aliquid irreuerenter et inordinate agatur pro uiribus impedire.

Ut solitudinem Christi illam maxime dierum quadraginta quos mansit in deserto ueneremur, omnes, et singuli tum ecclesiastici tum laici Congregationem ingredientibus, exercitia spiritualia, ac confessionem generalem totius anteactae uitae, apud aliquem sacerdotem a Superiore deputatum facient, ingressi eadem exercitia cum alia confessione ab ultima generali peragent, seminaristae quidem sexto quoque

25-26

mense, caeteri uero singulis annis utrumque praestabunt, quo tempore communicationem spiritualem ex more Congregationis singuli facient et per annum saltem tertio quoque mense, et quoties id Superiori uisum fuerit.

Omnes quotidie duplici examine conscientiae utentur, altero quidem particulari quod fiet ante prandium, et cenam de aliqua uirtute ad quam acquirendam contendent, altero generali quod serotino tempore idque de omnibus diei actionibus fiet.

Sacerdotes bis aut saltem semel in hebdomada uni ex confessarijs domus ad hoc deputatis, et non alijs sine Superioris facultate, confessionem facient, et quotidie missam celebrabunt. Caeteri uero qui sacerdotes non sunt, sicut et coadiutores singulis diebus sabbati et uigilijs praecipuorum festorum uni ex supradictis, nisi Superior alium designauerit, confitebuntur, et singulis diebus dominicis, festisque praedictis ad sacram communionem accedent, et quotidie missam audient.

Cum Christum Dominum, in eo quod in oratione Dei pernoctabat, praeter diurnas meditationes, omni ex parte imitari non ualeamus iuxta nostram tenuitatem idagemus, ideo omnes singulis diebus per unam horam orationi mentali in loco ad

id assignato, et quoad fieri potest iuxta methodum apud nos usitatam uocabunt.

26-27

Officium diuinum ab omnibus in communi ut plurimum etiam in missionibus uoce mediocri sine cantu, in aliquo decenti loco recitabitur illis tamen locis exceptis in quibus ratione foundationum uel alia necessitate ad cantum Gregorianum obligemur.

Nemo quoad fieri poterit ullum diem praeterire sinet quo non aliquid ex libro spirituali iuxta propriam animae necessitatem per tempus a Superiore uel Directore assignatum, legat. Sacerdos insuper et omnes clerici caput unum noui Testamenti legent, et hunc librum, tanquam Regularum nostrarum regulam uenerabuntur. Ad maiorem autem profectum, hu[iusmo]di lectio fiet flectis genibus, capite nudo, et saltem in fine tres sequentes actus adiiciendo. Primo ueritates in hoc libro contentas adorare, secundo spiritum induere in quo Christus aut Sancti eas protulerunt Tertio, consilia quae in illo capite habentur sibi proponere exsequenda, ac uirtutum exempla imitanda.

Conferentijs de rebus spiritualibus quae fient semel saltem in hebdomada, omnes diligenter aderunt, quae quidem semper spectabunt propriae uoluntatis, proprijque iudicij abnegationem, uoluntatis diuinae in omnibus faciendae exercitationem uirtutum omnisque perfectionis progressum maxime unionem fraternam, et illas quinque ex quibus spiritus Missionis componitur.

27-28

Qualibet feria sexta singuli suam culpam coram alijs dicent Superiori, uel alteri Superioris uices gerenti; idque tam domi, quam in missionibus et aequo animo admonitiones, ac paenitentias siue palam, siue priuatim sibi datas, acceptabunt. Seruanda pariter erit pia illa consuetudo petendi in capitulo ut publice de nostris de-

fectibus admoneamur, et quisque in spiritu humilitatis, et charitatis huiusmodi admonitionem facere curabit.

Ut aliquo modo passionem Christi honoremus, quisque feria sexta in serotina refectioe contentus erit uno ferculo, eoque ex oleribus aut leguminibus, nisi in missionibus, aut iter faciendo.

Cum in fine orationis mentalis, conferentiae spiritualis, aut alterius actionis publicae, Superior aliquem uocabit, ut de aliquo defectu admoneatur, ille genua illico flectet, et in spiritu humilitatis, et tacens, et libens, admonitionem audiet, poenitentiam impositam recipiet, et fideliter exequetur.

Unusquisque se toto uitae decursu ad exercitia missionis in Congregatione iuxta Institutum nostrum applicandi intentionem etiam in ipso ingressu habebit, eamque saepe renouabit.

Etsi labores Missionariorum continui non patiantur eos per regulam aliquam mortificationibus corporis et austeritatibus onerari, illas tamen unusquisque plurimi faciet, ad easque affectu animi semper propendebit, {et} imo poterit, prout sanitas, et seriae occupationes permittent, illis uti, exemplo Christi,

28-29

et primorum Christianorum, et multorum, qui pleni spiritu paenitentiae uiuunt in saeculo. Nemo tamen inconsulto Superiore, uel Directore ullas, nisi in confessione iniunctas, assumat.

Feria secunda, et tertia post quinquagesimam in domo a carne abstinebimus ut hac sane minima mortificatione Deum eod[em] tempore colamus, quo eum plerique Christiani suis dissolutionibus, et comessionibus grauiter offendunt.

Praeterea consuetus diei, ordo in Congregatione exacte ab omnibus siue domi, siue in missionibus obseruabitur maxime quoad hora surgendi, et decumbendi, orationi uacandi, Diuinum officium recitandi; cibum sumendi.



Ut mens simul cum corpore reficiatur in omnibus domibus nostris, necnon in missionibus, in mensa per totum refectionis tempus lectio spiritualis semper habebitur.

Etiam seruandae erunt aliae laudabiles Congregationis consuetudines, ut sunt in ingressu Domus, et ante egressum ecclesiam adire, et Christum in Sacramento salutare, ante ianuam, domus eleemosinae corporali praemittere spiritualem pauperes scilicet catechizando, idque similiter peregre eundo, in {eundo} ingressu, et egressu cubiculorum domesticorum, genua flectere, ut ante actionem Deum inuocemus, et post eam ipsi gratias agamus.

Si praeter ista exercitia uelit aliquis alia superaddere id Superiori aut Directori communicabit, nihilque aget, hac in re nisi quod ab ijs permis-

29-30

sum fuerit, ne si secus faciat forte suam, et diaboli uoluntatem impleat.

### **De Missionibus, caeterisque Congreg[atio]nis functionibus.**

Cum Dominus noster Iesus Christus Discipulis suis regulas de missionibus faciendis tradiderit, illis praecipiendo rogare Dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam, et designando apud quas nationes se conferrent, quid iter faciendo obseruarent, quas domos diuersandi causa ingrederentur quid praedicarent, quibus uescerentur, denique qua ratione se haberent erga eos, qui se nollent recipere. Nos ideo pro nostra tenuitate, coram uestigijs inhaerentes, sequentes regulas, quae rationem, et ordinem recte nos gerendi in missionibus, alijsque nostris functionibus continent obseruabimus.

Missionariorum siue Sacerdotum Missionis nomen quod a nobis non usurpatum, sed diuina ordinante Prouidentia, populorum communi uoce nobis impositum est, satis demonstrat missionum munus inter caetera erga proximum exercitia nobis esse

primum, et potissimum. Quamobrem non debet Congregatio, sub {nomine} alterius operis pij, alioquin utilioris praetextu illas unquam omittere, sed unusquisque toto animi affectu ad easdem se conuertet, ita ut sit semper paratus ad missiones toties subeundas, quoties eum obedientia uocabit. Ut autem illud mysterium nostrum melius adimpleatur, ordo praescriptus pro missionibus religiose

30-31

obseruabitur praeter ea quae hoc capite continentur.

Unusquisque cum sese offeret occasio, consilio, et admonitione proximum iuuare nitetur, et ad bona opera exercenda eum incitabit, nullus tamen curam dirigendi aliquem suscipiet, nisi in exercitijs spiritualibus, missionibus, illisque Congregationis domibus, in quibus nostri curam habent animarum, aut alijs occasionibus cum ad id applicati fuerint a Superiore, sed in ijs etiam nemo absque licentia et approbatione Superioris, ullas instructiones uel uiuen[di] formulas, scripto unquam dabit.

Ituri ad missiones, secum semper deferent mandatum illustrissimorum, ac reuerendissimorum Episcoporum, in quorum dioecesibus missiones fient, illudque parochis, aut alijs ecclesiarum, ad quas itur, Superioribus ostendent, et peractis missionibus, antequam reuertantur domum, Dominis nostris Episcopis, si ita ipsis uisum fuerit, referent, quae circa illas gesserint.

In ingressu et egressu alicuius missionis petent omnes benedictionem a parochis, et si absint, ab eorum uicarijs, et nihil maioris momenti faciant, nisi prius illud ijs communicauerint, et ipsis inuitis quicquam aggredi caebunt.

Iuxta consilium quod Dominus noster Iesus Christus dedit Apostolis suis, mittens eos praedicare +4+ euangelium omni creaturae, sicut gratis accepistis gratis date, tum etiam exemplo diui Pauli, qui ne quem grauaret, ad ea, quae sibi et socijs suis opus erant, nocte et die suis manus laborabat.

31-32

Nos in missionibus nemini erimus oneri, sed omnia nostra exercitia peragemus gratis, et absque ulla retributione temporali, tamen tempore missionis oblata tamen habitatione, necessariaque suppellectili uti licebit.

In proponendis dubijs {...} circa casus conscientiae in confessione occurrentes, magna prudentia et cautela adhibenda erit, ita ut nunquam possit dignosci persona in qua agitur, et ut malis quae inde possent oriri occurratur, nemo dubia de ullo casu conscientiae alicuius momenti in confessione audito proponet, nisi consulto Directore missionis.

Nemo uisitandis aegris aut iurgijs et litigijs componendis uacabit, nisi de eiusdem Directoris licentia.

Nullus in missionibus concionabitur, aut catechizabit, nisi ad id a Superiore nominatus fuerit, poterit tamen director cum expedire iudicauerit, alios idoneos substituere dummodo de ratione mutationis, quamprimum poterit per literas, Superiorem admoneat.

Concionumstrarum, et catechismorum stylus simplex erit, et popularis et iuxta primam, qua Congregatio usa est ab initio methodum: propterea quisque a molli, et affectata locutione aborreat. Religioni quae decet in cathedra ueritatis, curiosos et nimis exquisitos animi conceptus, et inutiles argutias proferre, attendens Christum Dominum eiusque discipulos, simplici loquendi modo usos fuisse, atque ita amplissimam messem fructusque copiosissimos attulisse.

Cauebunt omnes ab opinionibus nouis et particularibus,  
imo

32-33

imo semper in doctrina, in dictis, in scriptis, et quoad fieri poterit, in omnibus erunt uniformes ut, iuxta Apostolum Omnes idem sapere, et sentire, et id ipsum dicere possimus.

Cum laudes humanae multis sint occasio elationis animi nemo nostros laudabit, quod predicent, catechizent, et omnia exteriora munia cum hominum plausu exercent, poterunt tamen ob humilitatem, mortificationem caeterasque uirtutes, modo non adsint, prudenter commendari.

Caebunt omnes diligenter ne aliorum conciones, aliasue publicas actiones censura damnent; quod de his aliquem monere necesse sit, superioris erit id facere aut aliquem deputare qui priuatim, et cum moderamine requisito id prestet.

Unusquisque in omnibus operibus suis, et precipue in concionibus, aliisque Congregationis functionibus purissima soli Deo placendi intentione, quantum in se est, animari curabit, quin etiam illam identidem renouare, praesertim initio praecipuarum actionum, assuescet. Ante omnia caebit ne in ijs ullum, uel hominibus placendi, uel sibi satisfaciendi desiderium admittat, quod quid sanctissimam quamque actionem posset inficere, ac deprauare iuxta doctrinam Christi si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit.

Et quoniam ut ait Apostolus quandoque contingit, ut cum spiritu ceperimus, carne consummemur, quod solet accidere, uel cum actionem nostram subsequitur uana quaedam complacentia,

33-34

qua inaniter pascimur, si cum hominum plausu illa nobis successerit, uel cum ita nobismetipsis graues, ac molesti uidemur, ut nullo modo possimus conquiescere, si actio nostra minus felicem exitum sortita fuerit. Ideo unusquisque omni cura ac diligentia caebit ne in ullo unquam eorum delinquat. Ut priori malo occurratur, hanc ueritatem sibi ob oculos ponet, omnem gloriam Deo, nihil nobis tribuendum, deinde ualde timendum, ne si huiusmodi plausibus uane delectemur, haec uerba Christi audiamus Amen dico uobis recepistis mercedem uestram. Posterioris uero mali remedium hoc erit, continuo

ad ueram humilitatem, et propriae abiectiois amorem, quem Deus a nobis tunc exigit, confugere; deinde attente considerare saepissime ex huiusmodi contradictionibus patienter toleratis, tantum gloriae nomini Dei, et proximo utilitatis accedere quantum ex praedicationibus populo gratis, ac in speciem fructuosus.

Qui seminarijs externorum, ordinandis, conferentijs cum parochis, et alijs eccl[esiasticis], aut similibus exercitijs applicabuntur eos omnes non minus ad pietatem quam ad doctrinam promouere tam exemplo quam uerbo studebunt, praesertim uero curabunt cum illis agere in omni humiltate, mansuetudine, reuerentia, et affabilitate. Qui exercitijs spiritualibus tradendis uocabunt, eadem fere omnia, et insuper quaedam monita super his seorsim tradita, accurate obseruabunt.

Inter omnia Christi documenta, hoc nobis debet \esse\

34-35

esse commendatissimum. Qui inter uos uult esse maior, fiat sicut minor, et aliorum minister. Etenim si quando ab huius documenti obseruatione cessaret Congregatio, confestim inordinato gloriae appetitu in eam grassante, penitus destrueretur, quippe qm sese in animos natura sua ad elationem procliues facillime insinuans, eos ad plurima impellit mala, sed praesertim ad superioritates et officia ambienda, tum ad inuidiam in eos qui ad illa pro{moueantur} luebuntur concipiendam, uel etiam propriam satisfactionem, si ipsi in illis gradibus constituentur ardentem appetendam. In hoc delusi specioso gloriolae fulgore, in quem solum oculorum aciem intendunt, proximum praecipitium non attendentes, in quod tamen misere delabuntur. Quapropter ut nascenti huic monstro occurratur, omnes et singuli quaecumque excogitare poterunt media adhibebunt, qualia sunt primo in oculis nostris uiliores fieri eliciendo actum humilitatis profundae. Secundo nouissimum locum quaerere. Tertio a Deo, et a Superiore petere ut nos a gradu superioritatis amoueat, imo et ab officio praedicandi, seu ab alijs quibuscumque geren-

dis, quibus nomen aliquod comparare possemus et ad aliquod uile missionum pro suo beneplacito applicet.

Omnes quoque singulari studio primos inuidiae motus reprimere curabunt, qui ex eo oriri possent, quod aliae Congregationes, fama, hominum fauore, et honorificis occupationibus nostram superent certo sibi persuadentes non interesse per quos Christus annuntietur, dummodo annuntietur

35-36

et aequalem, uel etiam quandoque ampliorem gratiam et meritum nobis accedere, cum de bonis aliorum operibus gaudemus, quam si eadem nos ipsi cum propria satisfactione, uel intentione minus perfecta fecerimus. Idcirco quisque nitetur spiritum Moysis induere, exclamantis, Quid mihi tribuat ut omnis populus prophetet, caeterasque Congregationes nostra longe digniores aestimabimus licet illam maiori cordis affectu prosequi debeamus, ut puer bonae indolis matrem suam, quamuis pauperem, et deformem, multo plus diligit quam caeteras quasque, etiamsi diuitijs et formal conspicuas. Intelligent tamen omnes tenerum hunc amorem spectare tantum personas, uirtutes, et gratiam ipsius Congregationis, non autem quod in ea naturae delectabile est, uel hominum plausu emicat. Id quod speciali studio profitebimur odisse, et fugere, non solum quisque quod ad se attinet, sed etiam quod ad totam Congregationem, ita ut ne quidem appetamus, ut ipsa ab hominibus uideatur, eique applaudatur, sed potius humilietur et abscondatur in Domino, mente recolentes illam esse granum illud sinapis, quod, nisi seminatum, et occultatum in terra fuerit, crescere fructumque facere non potest.

Et quoniam curiositas ut ait {Dominus} Zeno, reum {corrigit} efficit, non peritum, et secundum Apostolum scientia inflat, tunc maxime cum eius consilium \ne-\

36-37

negligitur, non plus, scilicet, sapere quam oportet

sapere, sed sapere ad sobrietatem. Idcirco omnes praesertim scholastici continuo inuigilabunt ne illa auiditas sciendi ostentationis causa cor suum sensim inuadat; non tamen desinent studijs ad functiones Missionarij rite obeundas necessarijs impense uacare.

Cauebunt similiter omnes a duobus alijs uitijs, quae non minus Instituto Missionis, quam sibi inuicem sunt opposita, tantoque magis perniciosa quanto minus talia apparent eo quod sensim aliam inducant speciem, ita ut persaepe pro ueris uirtutibus sumantur. Haec autem sunt spiritus lacediael, et zelus indiscretus. Primum quidem paulatim animo subrepens praetextu discretionis in corporis conseruatione necessario adhibenda, ut inde ad Dei cultum et animarum liuamenl simus aptiores nos ducit ad corporis commoditates exquirendas, necnon ad laborem, qui uirtutem comitatur, fugiendum, quem ideo multo maiorem falso demonstrat, quo illa odio digna nobis appareat, quae sola est per se amore prosequenda, et sic maledictionem in huiusmodi operarios a Spiritu sancto pronunciatum misere incurramus. Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Alterum uero amorem proprium, aut indignationem obtegens, nos ad nimiam asperitatem tum in peccatores, tum in nos ipsos exercendam, aut ad laborem supra uires, aut etiam contra obedientiam cum corporis et animi detrimento suscipiendum impellit, ut

37-38

remedijs postea ardentem quaerendis nos implicet, et hoc pacto segnes, et carnales efficiat. Ab his igitur duobus extremis omnes declinare, mediumque semper tenere totis uiribus nitentur, quod quidem medium sine dubio reperiemus in exacta Regularum nostrarum bene intellectarum obseruantia, necnon in labijs leoruml qui custodiunt scientiam, in quorum manibus speciali Dei ordinatione animae nostrae sunt, si tamen humiliter ac confidenter de ore eorum, quoties opus erit, legem requiramus, eorumque directioni omnimode, et perfecte subijciamur.

Ante omnia memores erimus quod licet ijs uirtutibus ex quibus Missionis spiritus componitur, nos

semper instructos esse oporteat, illis tamen nos tum maxime esse munitos expendit cum tempus ministeria nostra apud ruricolos exercendi aduenit considerantes illas uelut quinque limpidissimos Daudis lapides quibus percussum etiam primo ictu infernalem Goliath deuincemus, Philistinosque id est peccatores nobis subijciemus, si tamen prius deposuerimus arma Saulis scilicet fiduciam in medijs humanis quae directe militant aduersus euangelica documenta, cum experientia nos doceat huiusmodi armatura hostes nostros, non solum expugnari non posse, sed nec impugnari.

Omnes singulari colunt ueneratione et amore Regulas suas, etiam quae inter ipsas non tanti uidentur momenti eas omnes spectantes, ut media nobis a Deo lapsa tradita, ad perfectionem uocationi nostrae congruentem acquirendam, et consequenter \animae\

38-39

animae salutem facilius utiliusque operandam. Quapropter feruentia ac generosa saepe concipient desideria illas fideliter obseruandi. Quod si quae intellectui, aut sensui nostro repugnent, in ijs continuo nosmetipsos superare, ac naturam uincere conabimur, recogitantes iuxta uerba Christi, Regnum caelorum uim pati et uiolentos rapere illud.

Ut autem hae regulae communes sicut, et speciales ad suum cuiusque officium pertinentes, memoriae et animo altius inhaereant, et ita strictius obseruentur, singuli apud se illas habebunt, ac singulis mensibus perlegent uel audient, easque recte intelligere curabunt, et pro suis quisque circa illas defectibus, a Superiore aliquoties in anno poenitentiam humiliter petent, ut ista humiliatione facilius a Domino ueniam ipsorum defectuum obtineant, nouasque contra relapsus in posterum uires assumant. Quin etiam illa fidelitas quam in hac re praestanda exercuerint, argumentum erit fidelitatis, quam in ipsis regulis obseruandis adhibuerint, signumque desiderij, quo erga propriam perfectionem afficiuntur. Quod si aliquem in earum obseruantia progressum quispiam fecisse nouerit, gratias Christo



Domino humiliter aget, rogabitque ut eas in posterum melius obseruandi gratiam sibi totique Congregationi largiatur. Caeterum firmiter nobis persuadendum est iuxta uerba Domini nostri Iesu Christi, quod cum fecerimus omnia quae praecepta sunt nobis dicere debemus nos seruos

39-40

inutiles esse, quod debuimus facere, fecisse, imo sine illo nihil facere potuisse.

**Regula siue ordinatio, de uotis simplicibus  
in Congreg[atio]ne emittendis a Superiori Generali  
condita, et ab Illust[rissi]mo et R[everendissi]mo D[omi]no Primo  
Archiepisc[opo] Paris[iensi] anno D[omi]ni 1642. die 19. 8bris approbata, et  
confirmata.**

Cum felicitatis recordationis Urbanus Papa octauus per Bullam erectionis dictae nostrae Congregationis anno Domini 1633 die 12 {Februarij} |Januarij| expeditam et ab Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Primi Archiepiscopi Parisiensis officiali fulminatam, nobis et pro tempore existenti superiori generali, ut quotiescumque nobis, aut successoribus nostris expedire uidebitur, quaecumque statuta, et ordinationes, felix regimen et gubernium, directionem et ordinationem dictae nostrae Congregationis, illiusque domorum, personarum, ac bonorum concernentia, licita tamen, ac honesta, sacrisque canonibus et constitutionibus Apostolicis, Concilij Tridentini decretis, et Instituto, et regulae supradictae nostrae Congregationis huiusmodi minime contraria ut a praefato Domino nostro Archiepiscopo Parisiensi approbata edere, et condere possimus et ualeamus licentiam, et facultatem perpetuo impertire dignatus fuerit, cumque rerum experientia effecerit, ut timeamus ne dictae nostrae Congregationis ecclesiastici, quamdiu liberi sunt recedere

40-41

cum uoluerint ex illa primis contra uocationem suam tentationibus forsan futuris succumbant, ne etiam quamdiu dubitant utrum sint in illa

perseueraturi, quamuis gratiam in illa perseuerandi, illiusque regulas seruandi multis misericors Deus cum benedictione largitus fuerit, perfectioni ad dictum Institutum requisitae, ut par est, studere negligent. Praeterea cum considerauimus quod ipsemet Deus in ueteri Testamento populum sibi electum ad legem suam seruandam circumcisione perpetuo obligari uoluerit, quod in noua lege sanctum Baptisma toto uitae cursu nos Jesu Christo Domino nostro seruire obliget, quod ecclesia non nisi hominibus per sacros ordines in statu ecclesiastico per totam uitam permanere se restringentibus, spirituale regimen populorum credat, quod eadem ecclesia ne quidem uiro uxorem matrimonio credat, nisi per quoddam sacramentum, ad illius statum tota uita obligans. Praeterea quod omnes Communitates, et Congregationes (paucis exceptis) ut personae in sua uocatione, nec non Regularum et Constitutionum obseruatione perseuerare possent, aliquibus uotis, in principio quidem simplicibus, a tempore uero felicitatis recordationis Bonifacij Papae octauae, solemnibus astringi necessarium esse semper existimauerunt; nos supradictis omnibus incommodis, rationibus et exemplis animo perpensis ad efficiendum, ut dictae nostrae Congregationis ecclesiastici in sua uocatione regularumque obseruatione possint permanere

41-42

expedire iudicauimus, et ordinauimus, ut singuli dictorum ne etiam Congregationem deinceps ingressuri post primum annum probationis in seminario expletum, bonum propositum toto uitae tempore in dicta Congregatione permanendi, Paupertatem, Castitatem, et obedientiam seruando coram superiore faciant. Et post secundum pariter probationis annum in dicto seminario expletum Paupertatis, Castitatis et obedientiae, nec non stabilitatis, se scilicet reliquo uitae tempore saluti pauperum rusticorum in dicta Congregatione iuxta illius regulas et constitutiones applicandi uotum simplex indispensabile nisi a Summo Pontifice, uel a nobis, aut pro tempore existente Superiore Generali, inter missarum solemnias superiore aut alio {in} eius locum tenente celebrentur

te, et audiente, sed non recipiente, emittant. Ij uero qui in dicta Congregatione iam uersantur quique dicto uoto in illa astringi uoluerint ad illud emittendum a nobis, aut a nostris successoribus admitti possint et ualeant, ita tamen ut dicta nostra Congregatio ob dictum uotum emissum nequaquam de numero Ordinum Religiosorum +7+ censeatur, nec de corpore cleri esse ideo desinat.

### **Formula uotorum.**

Ego N, Sacerdos (uel Diaconus, uel subdiaconus uel Acolytus, uel clericus, uel laicus coadiutor) indignus Congregationis Missionis coram Beatissima Uirgine et curia celesti uniuersa, uoueo Deo paupertatem, castitatem, et superiori nostro eiusque successoribus

42-43

obedientiam iuxta instituti nostri regulas et Constitutiones. Uoueo praeterea me pauperum Rusticanorum saluti, toto uitae tempore in dicta Congregat[io]ne applicaturum, eiusdem Dei omnipotentis gratia adiuuante, quem ob hoc suppliciter inuoco. In tali loco tali die, mense, et anno.

### **De Conditionibus dicti uoti Paupertatis .**

Omnes et singuli in nostra Congregatione admissi qui bona tum mobilia cum, immobilia, uel beneficia simplicia possidebunt, liberam fructuum inde prouenientium administrationem, et usum Congregationi concedere tenebuntur, poteruntque etiam post dicta uota emissa, iuxta leges et consuetudines locorum de fundo ipsorum bonorum testamento disponere, nec non dicta beneficia per resignationem aut cessionem cui uoluerint relinquere. Quod si e Congregatione discesserint, ipsum fundum ipsaque beneficia, non solum quoad integram proprietatem, sed etiam quoad totum usum fructum retinebunt. Fructus tament [sic] et prouentus illorum tum bonorum, tum beneficiorum ab ipsa Congregatione iam perceptos repetere minime poterunt.

Ioannes Franciscus de Gondy Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Primus  
Parisiensis Archiepiscopus dilecto nostro Uincentio a Paulo Superiori Gene-

43-44

rali Congregationis [Ecclesiasticorum] Missionis, a multis annis per nos approbatae, salutem in Domino. Cum nobis pro tua parte exhibita fuerit petitio continens quod, cum Sanctissimus Dominus Noster Papa Urbanus octauus, per bullam erectionis dictae congregationis, a nostro officiali fulminatam, tibi et pro tempore existenti superiori generali, ut quotiescumque tibi, aut successoribus tuis expedire uidebitur, quaecumque statuta et ordinationes, felix regimen, et gubernium dictae Congregationis, illiusque domorum, personarum ac bonorum concernentia, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et constitutionibus apostolicis, Concilij Tridentini decretis et instituto, et regula supradictae Congregationis Missionis huiusmodi minime contraria, et a nobis, aut successoribus nostris approbanda edere, et condere possis, et ualeas, licentiam, et facultatem perpetuo impertiri dignatus fuerit; cumque rerum experientia effecerit ut timeas ne dictae Congregationis ecclesiastici, quandiu liberi existunt recedere cum uoluerint ex illa, primis contra uocationem suam tentationibus futuris succumbant, ne etiam, quandiu dubitant utrum sint in illa permansuri (quamuis gratiam in illa perseuerandi, illiusque regulas seruandi, multis misericors Deus cum benedictione largitus fuerit) perfectioni ad dictum Institutum requisitae, ut par est, studere negligant; praeterea cum consideraueris quod ipsemet Deus in ueteri Testam[en]to populum sibi electum, ad legem suam seruandam circumcissione perpetuo obligari uoluerit, quod

44-45

in noua lege sanctum Baptisma toto uitae cursu nos Jesu Christo Domino nostro seruire obliget, quod ecclesia nonnisi hominibus per sacros ordines in statu ecclesiastico per totam uitam permanere se astringentibus, spirituale regimen populorum credat, quod eadem ecclesia ne quidem uiro uxorem

matrimonio credat, nisi per quoddam sacramentum, ad illius statum tota uita obligans. Praeterea quod omnes Communitates, et Congregationes (paucis exceptis) ut personae in sua uocatione, nec non Regularum, et Constitutionum obseruatione perseuerare possent, aliquibus uotis, in principio quidem simplicibus, a tempore uero Papae Bonifacij octauae solemnibus astringi necessarium esse, semper existimauerint; tu supradictis omnibus incommodis, rationibus, et exemplis animo perpensis ad efficiendum, ut dicti ecclesiastici in dicta Congregatione, regularumque obseruatione permanere possint expedire iudicasti et ordinasti, ut singuli dictam Congregationem deinceps ingressuri post primum annum probationis in seminario expletum, bonum propositum toto uitae tempore in dicta Congregatione permanendi; paupertatem, castitatem, et obedientiam seruandi, coram superiore faciant. Et post secundum pariter probationis annum in dicto seminario expletum, paupertatis, castitatis et obedientiae, nec non stabilitatis, se scilicet reliquo uitae tempore saluti pauperum rusticorum in dicta Congregatione iuxta illius regulas et constitutiones applicandi, uotum simplex indispensabile nisi a summo Pontifice

45-46

uel a te, aut pro tempore existente Superiore G[e]n[era]li, inter missarum solemnias superiore celebrante et audiente sed non recipiente emittant. Ij uero qui in dicta Congregatione iam uersantur, quique dicto uoto in illa astringi uoluerint, ad illud emittendum a te, aut a tuis successoribus admitti possint, et ualeant, ita tamen ut dicta Congregatio ob dictum uotum emissum, nequaquam de numero Ordinum Religiosorum censeatur, nec de corpore cleri ideo esse desinat. Cum denique in dicta petitione pro tua parte supplicatum fuerit ut dictam tuam ordinationem circa praedicta approbare et confirmare dignemur, Nos praedictis rationibus mature consideratis, et dictae tuae petitioni annuere et fauere uolentes, dictam ordinationem, cum illam sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, Concilij Tridentini decretis, necnon Instituto ac regulae dictae congregationis minime contrariam

imo ad personas in dicta Congregatione, illiusque regularum obseruatione conseruanda utilem esse constet, et sic nos opus Deo gratum et Ecclesiae fructuosum, diuina gratia ladjuuante, facturos sperari possit, de n[ost]ra gratia approbauimus, et confirmauimus et per praesentes approbamus, et confirmamus. In quorum praemissorum, et singulorum fidem, et testimonium, dictas presentes literas nostrae approbationis, et confirmationis per Archiepiscopatus nostri Parisiensis secretarium fieri, et signari, sigillique camerae nostrae iussimus et fecimus approbatione communiri. Datum Parisijs, anno Domini \millesimo\

46-47

millesimo sexcentesimo quadragésimo primo, die decima nona mensis octobris.

### **Regulae Superioris Generalis.**

Generalis personam Jesu Christi toti suae Congregationi representat. Primo in eo debet esse continua cum ipso Jesu Christo unio in suis et orationibus, et actionibus, ut inde lumen, et gratiam percipiat. Secundo, omni genere uirtutum maxime humilitate, et Charitate praeditus esse. Tertio, ab omni affectu inordinato immunis. Quarto scire coniungere rectitudinem et seueritatem, cum mansuetudine, et benignitate. Quinto animi robore, ac generositate dotatus ad tolerandum, aggrediendum, et substinendum, nec non ad Magnatum minas non timendas, licet ob id uitae suae discrimen uenire oporteret. Sexto intellectus defaecatus, iudicium solidum, multum scientiae, sed plus prudentiae, ac discretionis in eo requiruntur. Septimo, uigilantia ad perseguenda incepta, et firmitas ad ea feliciter perficienda. Octauo denique corpus sanum, et bene compositum, et fama optima.

Perpetuus erit, et plenam potentiam habebit iin totam Congregationem. 2<sup>o</sup> admittet per se, uel per alium, quos ipse idoneos iudicauerit, et e contra minime idoneos dimittet { ... } letl nulla habita ratione diuturni temporis quo in eandem Congre-

gationem ingressi fuerint ab ea amouebit. 3° ad eum pertinet gubernatio domorum, personarum, officialium, et Superiorum dictae Congregationis. Item ius est instituendi, distribuendi, obligandi ad reddendam rationem de sua administratione, ineundi contractus uenditionis, emptionis, \per-\

47-48

permutationis, accipiendi pecunias et in pacto redditum annuum soluendi, e facultate ipsum redimendi, quoad uero uenditionem bonorum immobilium, aut domorum abolitionem id facere non poterit nisi de consensu Congregationis generalis. 4° Cuilibet domorum bonaque Congreg[atio]ni non tamen quae tali domui data fuerint adiungere, et attribuere poterit. 5° Uisitatores, et Superiores particulares, ac etiam alij quos ipse delegauerit, habebunt in praedictis casibus potestatem quam ipse dederit. 6. Illius est iubere, ut omnes re+9+ gulae ubique obseruentur, de iisdem dispensare, officia, et ministeria distribuere, eademque reuocare. 7. Utetur facultatibus Congregationi datis, et dabit, ac reuocabit, aut imminuet iisdem superioribus, et officialibus talem partem dictarum facultatum, qualem expedire sibi uisum fuerit.

Penes illum est ius, et potestas corrigendi, et tales imponendi paenitentias 1. quales pro cuiusque defectibus expedire iudicabit. 2° Conuentum generalem in rebus quam maximi momenti conuocandi, iniungendi uisitationibus ut suam Prouinciam conuocent, Conuentum generalem dirigendi, et conuocatos dimittendi quando id expedire sibi uisum fuerit, hoc intelligi debet de Congregationibus quae fient arbitrio Superioris Generalis extra tempus Congregationum triennialium, non uero de ipsis Congregationibus triennialibus. 3° Nemo nostrae Congregationis beneficium absque illius consensu accipiet. Ipse uero illum nunquam \dabit\

48-49

dabit sine iussu summi Pontificis, nisi quoad beneficia Con-

gregationi unita uel unienda. 4° instituet Domorum superiores pro tempore quod ipse expedire iudicabit, et Uisitatores triennium, nisi expedire sibi uideatur illos diutius in officio relinquere, aut eos ante tempus destituere. Quinto si Uisitoribus det facultatem instituendi Superiores, illius potestatis est eos confirmare aut destituere. Sexto instituet officiales ad Congregationis administrationem necessarios ut sunt Procuratores, et Secretarius generalis, illisque dabit talem facultatem qualem expedire sibi uidebitur. 7° admittet foundationes, et domos. Insuper admittet eos qui se Congregationi dare, nec tamen de Corpore illius esse uoluerint sub quibuscumque conditionibus, quas tamen possit reuocare si illas fore Congregationi damnosas experimento comperiret ipsis damna resarciendo iuxta quod aequum uisum fuerit. Quod si foundationem aliquam fini Congregationis nociuam admitteret, Congregatio conuocata rem ad deliberationem uocabit, an sub illius conditionibus nociuis illam possit admittere. Octauo non poterit transferre domum iam fundatam, nec illam deserere nisi de consensu Congregationis conuentu generali conuocato. Nono, necesse est ut plenam Cognitionem habeat suorum subditorum, maxime quos ad officia praeficere desiderat. X° poterit iubere uirtute obedientiae singulis nostrae Congregationis quoad ea quae ad eorum perfectionem et proximi salutem spectant, et quamuis hanc facultatem dederit alijs, ut puta alicui ex Uisitoribus, aut Commissarijs, poterit illa uel approbare {seu reuocare} uel rescindere seu reuocare quae ab ijs acta fuerint, et statuere quod sibi uisum fuerit. Illi igitur omnes obediant, illumque uenerabuntur tanquam qui Domini

49-50

nostri Jesu Christi locum tenet in Congregatione.

Congregatio tamen in eum auctoritatem habebit ad eius gubernationem temperandam in sex casibus. Primo quoad exteriora scilicet uestitum, uictum, et alia impensa. 2° quoad eius corpus, ut scilicet neque labore neque mortificationis rigore excedat. 3° quoad eius animam illi scilicet dandi admonitorem qui facta prius per horam oratione eum admonebit. 4. quoad dignitates ecclesiasticas quas acceptare non poterit absque consensu Congregationis quae illum dare non poterit, nisi Papa sub poena peccati mortalis id iusserit.



5° Si in rebus alicuius momenti ita languidus et negligens euaderet, siue ob morbum aliquem, siue ob caducitatem, aut damnum notabile Congregationi inferret. In eo casu daretur illi Uicarius generalis, aut Coadiutor qui eligeretur ab ipsomet generali, et a Uisitoribus aut ab ipsis Uisitoribus, et a duobus Superioribus de {eorum} Prouincia, qui quidem sua suffragia mitterent per literas, quae mitterentur ad eius assistentes et aperientur, et legerentur ab ipsis, et suffragia colligerent ipso presente uel etiam absente si adesse nolit, aut commode non possit, et qui plura suffragia habere uisus fuerit, ipse censendus erit Uicarius Generalis, eiusque auctoritatem habebit. 6° quoad mores si uidelicet in peccato luxuriae laberetur, aut si quem occideret, aut mutilaret, aut si bona alicuius Domus sibi ut propria attribueret, et dissiparet, aut donaret +x+ aut si doctrinam hereticam profiteretur, quae mala, quantum conijci potest, numquam Deo auxiliante aduenient. In his quatuor Casibus si res fuerit \suf-\

50-51

sufficienter testata Congregatio illum posset et deberet deponere, quin etiam si res postularet extra se dimittere, idque in Conuentu Generali conuocato ut mox dicitur.

Hac ratione se geret Congregatio in ijs, quae ad Superiorem Generalem spectant. Uisitorum erunt partes inspicere quomodo agere in hac re debeant. Congregatio eliget assistentes duos, uel si Deo id permittente, uenerit Congregatio, quatuor cum quibus ipse de rebus grauioribus tractabit, etsi facultas statuendi apud se remeat. Illi autem in eadem qua ipse Superior Generalis domo residebunt. Illum in omnibus ad doctrinam, et praxim pertinentibus iuuabunt, et in tribus primis casibus supradictis prouidebunt, quorum primus spectat ad uestitum, uictum, et impensa; secundus, illius labores. Tertius, bonum animae eius. Dicti Assistentes eligentur ab ipsismet qui eligerint generalem, atque eodem tempore quo ipse electus fuerit, quod si unus ex ijs moriatur, aut Generalis ipsum foras ad negotia grauia gerenda mittat, ipse in loco defuncti uel absentis substituet alium, qui quidem ad hoc munus admittetur nisi Uisitoris id improbarint.

Quod si laberetur (quod Deus allertat) in peccata praedicta quae depositionem requirunt, dicti Assistentes (qui iuramenta abstringentur ad id Congregationi denunciandum) re ab ipsis attestata, aut ipso Generali eam fatente, ad Congregationem, id est praedictos Uisitatores scribent, literasque subscribent quarum tenore rem illis nuntiabunt, eosque ad Conuentum generalem conuocabunt, qui quidem tenebuntur se una cum duobus

5 1-52

superioribus de sua Prouincia in conuentu Prouinciali ad id electis recipere statuta die in locum ad id assignatum.

Quod si res diuulgata, in hoc casu Uisitatores ses inuicem de hac re quam citius admonerent et conuenirent non expectata Assistentium sententia, aut conuocatione, et a prima die qua in locum conuocatione deputatum aduenirent, ubi etiam dicti Assistentes aderunt, accusatio clare exponetur ab uno ex conuocatis, cui res notior fuerit, et statim atque Superior Generalis fuerit auditus, e Conuentu exhibit et antiquior inter Uisitatores una cum Secretario Congregationis, et uno ex Assistentibus facient scrutinium cuius prima questio haec erit, utrum debitum sit sufficienter attestatum. 2° utrum habeat omnes conditiones ad deponendum dictum generalem requisitas, et alta uoce ipse antiquior pronunciabit maiorem numerum seu pluralitatem suffragiorum, quae quidem ut sint ualida bis tertiam eorum partem excedere debebunt, et his peractis statim de electione alterius Generalis agendum erit et si fieri potest inde non exhibunt quin Congregatio alium Generalem habeat, si uero id fieri non possit {ipsa} lillal die, id peragent quamprimum poterint idque iuxta formulam, quae in capite de electione habetur.

Si uero delictum non sit de illis, quae depositionem requirunt, Congregatio quatuor ex ipsis eliget ad deliberandum, quo admonitionis genere erga illum utendum sit, et re ipsa ei \admonitio-\

52-53

admonitionem debunt, si uero de admonitionis genere inter se conuenire non possint, tunc alium, aut tres alios eligent ad praedictum dirimendum.

Quod si superior generalis ad gubernationem et directionem Congregationis inutilis esset, res agitanda erit partim ipso presente partim absente, et +xi+ iuxta maiorem suffragiorum numerum deliberabitur, utrum ei dandus sit Uicarius Generalis qui eius auth[oritatem] habeat, si aut maior suffragiorum pars ad illud tendit iuxta hanc deliberationem procedendum erit si uero eo recurrere non sit necesse, inter se perspicient, utrum expediat eligere unum aut duos alios Assistentes, qui una cum alijs prius electis eum ad onus portandum adiuuent, idque iuxta suffragiorum pluralitatem.

Si uero de aliqua dignitate ageretur ne quidem ad questionem res adducenda erit, nisi jd {quod} Papa sub poena peccati mort[al]is ei iusserit quia negatiua semper censendum erit certiss[im]a et experimentis dubitat[i]onis et controuersiae. Generalis statim post hanc electionem exercitia spiritualia incipiet quibus absolutis, et Missa celebrata in duobus schedulis coram Deo scribet, in altera scilicet nomen illius, quem in Domino iudicauerit idoneum se uita defuncto ad officium Uicarij Generalis obeundum usque ad alterius Generalis electionem; in altera uero nomina duorum, qui post obitum suum Congregationi proponantur, et alteruter in Superioris Generalis officia sibi successurus eligatur, ita tamen, ut eidem Congregationi remaneat ius alium si ei libuerit eligendi, qui magis

53-54

idoneus ad hoc munus ei uisus fuerit, ambas schedulas ut supra inscriptas, et manu propria subscriptas, sigilloque Congregationis designatas in duabus arculis binas ac diuersas seras habentibus includat, unamquamque scilicet in sua arcula, cuius clauem alteram ipse Generalis, alteram uero primus Assistens custodiet, et ut maior cautela huic negotio adibeatur, alia schedula eiusdem Ge-

neralis manu conscripta, et subscripta sigilloque eodem quater statim munita ad quamlibet arcularum seram firmiter affigetur, ita ut exterius cuiusuis serae orificium omnino operiatur. Utraque autem prioris arculae schedula continebit haec verba. Schedula electionem Uicarij Generalis spectans in hac arcula continetur, posterioris uero quae sequuntur. Schedula electionem Superioris Generalis spectans in hac arcula continetur. Utraque arcula in Archiuo Domus in qua Superior Generalis solet residere accurate asseruabitur, donec ipso uita defuncto ambae sint auferendae, et recludendae, altera quidem statim post ipsius obitum ad Uicarium scilicet Generalem nominandum; altera uero cum dies noui Generalis eligendi aduenerit. Ipsi tamen Generali licitum erit singulis annis, uel sepius si ita expedire ei in Domino uidebitur post exercitia spiritualia, alteram, aut utramque ex arculis recludere si eorum nomina quos proposuit eligendos mutare coram Domino decreuerit, qua mutatione facta, arculisque iterum

54-55

obseratis praefatas inscriptiones in orificio serandas eo modo quo supra denuo affiget, caeteraque praestabit, quae de his arculis paulo ante praescriptum est, quae omnia ut facilius, et securius praestentur ipse Generalis sicut, et primus Assistens suam quisque clauem in sacello quodam inclusam et collo appensam semper, et ubique gestabit, nisi quando dictae arculae iuxta Constitutiones erunt reserandae, uel cum alter eorum, aut uterque in grauem morbum inciderit, in quo ultimo casu dicta clauis scilicet Superioris Generalis antiquissimo ratione uocationis inter Missionarios tunc temporis {ad} presentes (modo non fit unus ex Generalis Assistantibus) coram alijs antiquioribus eiusdem Domus tradetur custodienda donec ipse conualescat, tunc enim ei reddenda erit dicta clauis. Si uero e uita decesserit, idem antiquissimus alijs antiquioribus congregatis, cum scilicet tempus arculas aperiendi aduenerit, statim eam tradet, quo uero ad clauem primi Assistantis siue graui morbo afficiatur, siue moriatur, alteri ex dictis antiquioribus

ab ipso Generali ad id nominato ac designato dabitur pariter custodienda, ita ut si conualescat ei dicta clavis reddatur, siue uero e uita decedat primo Assistenti eius successori tradatur. Quod si mutantur Assistentes, tunc clavis dabitur primo ex Assistentibus in eius locum suffecto, quod uero attinet ad modum eligendi nouum Generalem omnia obseruabuntur quae in {...} |praefato| capite de electione Superioris Generalis praescripta

55-56  
habentur.

Generali maxima erit cura eligendi officiales subordinatos, qui idonei sint, et saepe cum illis per literas communicandi de sua administratione. Item eos admonendi, consulendi, ac corrigendi, nec non efficiendi, ut Uisitatores, ac superiores {Generales} Particulares idem erga suos officiales obseruent.

Ut totius Congregationis gubernationi plenius, at [*sic*, ad] perfectius uacare possit, nullius Domus particularis nisi illius in qua residebit administrationi ullo modo uacabit, et nulli operi externo etiam pio quod ad suum officium non spectat unquam per se incumbat.

Secum habebit Catalogum priuilegiorum Congregationis, alium domorum, ac bonorum cuiusque domus, alium etiam omnium nostrae Congregationis siue sacerdotum, siue clericorum, siue fratrum Coadiutorum una cum conditionibus, et qualitate sui ingenij, et capacitatis circa munera obeunda.

## **Regulae Uisitoris**

**De ijs, quae ad eius personam, et communem totius Prouinciae administrationem spectant.**

### **Caput 1.**

1. Intelliget finem officij sui in eo positum esse, ut domos a se uisitandas in acquirenda perfectione iuxta

56-57

proprij Instituti rationem et regulas ipsi datas promoueat.

2. In suis uisitationibus charitatem, mansuetudinem, et benignitatem Christi Domini nostri imitabitur, atque ut perfecti Missionarij exemplar exhibebit, et exemplo magis quam uerbo, subditos diriget. Miscebit tamen, cum res postulauerit, seueritatem cum mansuetudine, et ita ad suum officium applicabit animum, ut ideo propriae perfectioni acquirendae continuo studere non desinat.

3. Nullas regulas, aut Constitutiones Congregationis abrogabit, uel nouas inducet inconsulto Superiore generali, sed secundum eas, quae iam statuta sunt domos {propriae} lsuael Prouinciae gubernabit.

4. In regulis ordinationibus, decretis, ac in ipsis etiam Constitutionibus poterit cum particularibus dispensare, sed si in re magni momenti quae urgere uideatur dispensauerit, primo quoque tempore Superiorem generalem de huiusmodi dispensatione et de eius causa admonebit.

5. Omnes facultates eorum superiorum qui Uisitatori subordinati sunt ad ipsum quoque pertinent, ab ipsoque suspendi possunt quando ei expedire in Domino uidebitur.

6. Cum domum aliquam statuto tempore uisitare non poterit, aut in periculo mortis constitutus fuerit, alium Uisitorem de suorum Consultorum consilio eligere poterit, nisi Superior Generalis alium designauerit, et hic easdem facultates habebit nisi ab eodem Generali limitentur, rationem tamen administrationis nequaquam immutabit.

57-58

**De ijs quae ad bonam Prouinciae administrationem illum iuuabunt**

## **Caput 2.**

1. Superior Generalis Uisitatori dabit quatuor Consultores quorum unus erit eius admonitor et socius, quod

si absentes sint per transmissas literas illas, si res postulet, consulet. In quavis autem domo, consilio Superioris, et eius consultorum quos ad consultationem adhibendos iudicauerit, utetur. Poterit nihilominus alios ad consultationem uocare imo per transmissas literas rem communicare ijs absentibus, quos bonum consilium dare solitos nouerit.

2. Literas et scripta quae pertinent ad rem de qua consultatio habenda est ostendet consultoribus (nisi quid obstet) ut bene informati sententiam suam melius dicere possint.

3. Cum ordinationes aliquas com[m]unes a Generali acceperit, illas Superioribus huic uisitationi subiectis, et consultoribus manifestari faciet, et quae alicuius momenti fuerint ad gubernationem uel instructionem pertinentes in libro ad id designato in qualibet domo describenda curabit.

4. Inter consultandum de aliqua re rationes pro et contra exponet, et in neutram partem animi sui propensionem ostendet.

5. Si quando aliquid acciderit de quo non possit, aut debeat cum consultoribus agere, poterit iuxta primum, et secundum modum in exercitiis spiritualibus traditum ad electionem facien-

58-59

dam quid agendum sit deliberare.

6. Libenter se ab aliis, maxime ab admonitore suo admoneri patietur de ijs quae ad suam personam, suumque officium pertinent.

7. Habeat secum descripta autentica literarum Apostolicarum Congregationis tum priuilegiorum et regularum nostrarum, necnon ordinationum, quae a Generali datae fuerint, eaque omnia bene intelliget et obseruari faciet.

8. In loco in quo diutius ei residendum erit, habebit archiuum in quo asseruabit instrumenta autentica et caetera quae ad officium Uisitatoris, et communem

usum Prouinciae pertinent, quae omnia ex Catalogo a se subscripto successori tradet.

9. Habebit libellum in quem referet, quae consultanda, prouidenda, et ad dictum generalem scribenda sunt ne memoria excidant.

10. Orationes et missas ad tempus indicere poterit in domibus a se uisitandis etiam in tota Prouincia pro causis, quae uidebuntur id exigere, modum tamen in ea re non excedat.

**De superioribus ei subordinatis,  
et eorum officialibus.**

**Caput 3.**

1. Etsi superiores particulares domorum instituere ad Generalem pertineat, poterit tamen aliquando eos destituere, si esset periculum in expectanda generalis responsione, aut si aliquis moreretur, poterit aliquem qui uices superioris defuncti gerat, eumque

59-60

uirum spiritualem et expertum interim constituere, donec generalis admonitus prouiderit. Assistentes autem Procuratores ac Praefectos studiorum etiam subassistentes, et praefectos sanitatis constituet ubi opus esse iudicauerit.

2. Constituet eorum Directores seminaristarum internorum in seminarijs non separatis a Generali tamen confirmandos, eosque uiros spirituales, et in modo procedendi Congregationis nostrae bene probatos.

3. Praefectos rerum spiritualium, et ordinarios nostrorum confessarios eliget, ex quibus fere conueniet praefectos rerum spiritualium deligere.

4. Poterit etiam eligere superiorum consultores et admonitorem, et de hac re generalem admonebit ut ipsos confirmet.



5. Praedicatores et externorum confessarios tam eos qui in missionibus, quam qui in domibus, ad curam animarum obligantibus, applicantur, designabit praemisso tamen examine domestico, et approbatione ordinariorum.

6. Denique eliget lectores in scientijs tam diuinis quam humanis, exterosque praecipuos seminariorum externorum officiales. Nouas tamen lectiones non addet, nec scholas usquam ullas aperiet sine facultate generalis.

7. Tuebitur auctoritatem superiorum particularium in subditos, ita tamen ut constet posse omnes ad dictum Uisitorem, aut generalem recurrere ut Id discrete, et in Domino fiat, eo quicquid \agen-\

60-61

agendum uel immutandum erit quod ad dictos superiorum officium pertineat per eosdem fieri curabit.

8. Si quos ad gubernationem idoneos iudicabit, de illis paulatim in negotijs tractandis, et domesticis ministerijs obeundis experimentum sumere curabit, ut et ipsi talenti accepti specimen dare et Congregationis officia eis tuto possint committi.

9. Obseruabit si qui detineantur in ministerijs aliquibus, qui magis essent idonei ad alia, eam tamen habebit cuiusque rationem, ut melius, et uniuersale bonum semper praeferatur.

10. Neminem ab obedientia Superioris (inconsulto generali) dispensabit, nisi periculum esset in mora et tunc generalem de persona, et de causis proptér quas eam dispensauerit certiore faciet.

## **De Admittendis.**

### **Caput 4.**

1. Ad probationem in Congrégatione per se, uel per alium a se deputatum admittere poterit Postu-

lantes quos ad institutum nostrum idoneos in Domino iudicauerit, efficiet tamen ut non medijs humanis, sed uirtutibus, et bonae uitae odoribus alliciantur, utque Congregatio personis ineptis, et deputatum admittere poterit Postu-minime idoneis non repleatur, et curabit, ut in hoc regula, examinationis diligenter obseruentur.

2. Non dispensabit in primis quinque impedimentis nisi dispensandus dona aliqua Dei illustriora habere cerneretur, de quibus Generalem

61 -62

admonebit, quodsi de huiusmodi impedimentis dubitaret, ad eundem recurret in secundarijs tamen impedimentis dispensandi facultatem habebit praeterquam in deformatione magna aut defectus insigni qualem habent eunuchi, et in aetate infra 25, et supra 50 annos expletos, et in coniugatis etiam in casu in quo non est impedimentum essenziale.

3. Poterit in quibusdam casibus anteponere et postponere aliqua ex {impedimentis} lexperimentis in seminario fieri solitis eaque moderare, et alia in alia permutare modo seminaristae biennio, et bene probentur quod etiam tempus prorogare poterit, si opus esse iudicauerit.

4. Poterit etiam tum seminaristis in secundo anno probationis circa studia si ita in domino expedire iudicauerit, dispensare, dum[m]odo dispensati extra locum seminarij et seorsim a scholasticis degant et quomodo poterunt seminarij regulas obseruent sub cura alicuius sacerdotis ab ipso constituti qui uicem directoris seminarij gerat, eiusque regulas et examinationes habeat.

5. Laici fratres coadiutores officio Marthae uacantes, plures non erunt quam qui necessarij fuerint.

## **De Dimittendis**

### **Caput 5.**

1. Facultatem habebit dimittendi subditos etiam eos qui uota emiserint, nisi qui a Superiore Generali

in illius Prouinciam destinati uel de Congregat[i]o]ne adeo benemerito fuerint, ut eorum particularis ratio habenda esset, in his enim casibus inconsulto

62-63

Generali dimittere non debet nisi causae admodum urgentes et graues essent ut aut minime dubitaretur Generalis mentem huiusmodi futuram esse.

2. Uisitatoris erit auditis suis consultoribus, uel si necessitas urgeat, superiore et consultoribus eius loci ubi tunc erit adhibitis ad expulsionem procedere; si tamen remedia efficacia tentata prius fuerint, et res cum consultoribus suis sic statuta fuerit.

3. Circa modum dimittendi obseruabit ea quae pro dimittendis scripta sunt, et an scripta secum asportare debeat diligenter considerabit.

4. Declarabitur ijs qui dimittuntur quod liberi maneant a uotis simplicibus si ea iuxta {formam} lulam| Congregationis consuetam emiserint.

Hoc sibi persuadebit, et quasi axioma tenebit dimissos, aut sponte egressos e Congregatione, et postea ultro redeuntes, raro esse idoneos ad n[ost]rum Institutum.

## **De literarum studijs**

### **Caput 6.**

Quosdam e nostris eruditiores, et magis idoneos designabit Theologiae et Philosophiae lectores, necnon humaniorum literarum praeceptores in ijs domibus Congregationis ubi huiusmodi studia cum approbatione Generalis statuta sint. Ipsius etiam erit ad studia applicare quos ad ea idoneos iudicauerit.

Uidebit an regulae studiorum obseruentur, et praesertim an lectores Theologiae et philosophiae in disputationibus curent ut ab ipso respondente explicetur caput Thesis ab argumentante impugnandum, instruantque argumentantes ut in ipso ingressu ad

63-64

summam difficultatis ueniant et ipse respondens post unum, aut alterum argumentum, solutionem det, idque in spiritu suauitatis et humilitatis, idem an efficiant ut communibus Theologiae et ut plurimum philosophiae opinionibus quisque innitatur.

Qui propter aetatem prouectiorem, aut alias causas in facultatibus superioribus, et scholasticis studijs progressum facere non possunt, curabit ne in illis tempus insumant, sed casibus conscientiae discendis dent operam, sintque semper aliqui ex nostris qui huic studio diligenter incumbat, ut Congregatio copiam habere possit operariorum, qui confessionibus audiendi sint idonei.

Sub finem studiorum Generalem admonebit de cuiusque studentis talento, et quantum singuli profecerint ei referet.

Non permittet ut ullus ex nostris librum aliquem imprimat, aut etiam componat, uel ex una in alteram linguam transferat sine generalis facultate.

### **De Promouendis ad Ordines, et admit- tendis ad uota, et ad tertium probationis annum.**

#### **Caput 7.**

1. Potest per se, uel per alios praesentare ex nostris eos quos idoneos iuxta instructionem a Generali traditam, censuerit, ad ordines eccl[esiast]icos recipiendos.

2. Seminaristas Cong[regatio]nis ad bonum propositum faciendum post primum annum, ad uota uero post biennium, nisi iusta de causa differendi uiderentur, admittet.  
\Curabit\

64-65

3. Curabit ut omnes suae Prouinciae post sextum aut septimum annum ab absoluto seminario peragant tertium

seminarij annum in modo ad id determinato, nisi uisum fuerit Superiori Generali, supradictum tempus aut praeuenire aut differre, imo et ab eodem seminarij anno aliquid respondere.

Antequam admittat eos qui uota emissuri sunt ea seruari curabit quae ab ipsis iuxta {consuetudines ?} lconstitutionesl erunt facienda, cuiusmodi sunt dispositio bonorum temporalium, si quae adhuc habuerint, exercitia spiritualia et alia quae in decretis Congregationis habentur.

Efficiet ut qui bonum propositum sunt facturi, id agant seorsim non inter illos qui uota tunc emitterent aut renouarent.

Habebit librum in quo eorum nomina scribentur qui uota in domibus suae Prouinciae emiserint iuxta ordinem Superioribus traditum.

Cum aliqui uota emiserint, exempla huiusmodi uotorum nomina ipsorum subscripta ad Generalem quam primum transmittet.

## **De rebus Domorum Prouinciae**

### **Caput 8.**

Curabit ut aedificia conseruentur, et si opus fuerit instaurentur, quod si quae aedificanda maioris momenti fuerint, cuiusmodi sunt Templum, dormitorium, uel aliquod simile non fient nisi de consensu superioris generalis, ad quem pertinet formam, et modum nostrorum aedificiorum prescribere.

Bona immobilia conseruare curabit, et utrum augeantur, aut minuentur attendat, quodsi quis ea

65-66

augere cupit, id admittere poterit, si tamen aliquae conditiones exigentur nonnisi Generali consulto admittet.

Quod si domus, cui res donata est pecunia indiget rem illam poterit uendere, idque de consensu Generalis

si ducentos circiter ducatos turonenses res excedat, sin minus eam propria auctoritate poterit uendere.

Nullam intendat litem, nullamque in iudicio defendet nisi prius tentauerit omnimode rem aliqua transactione aut concordia cum aduersis componere, et Generalis consensum obtinuerit.

Curabit ut in archiuum domus in qua Superior Generalis residebit exempla authentica contractuum maioris momenti praesertim reru[m] perpetuarum mittantur.

Uidebit computa inter superiorem et procuratorem translata, rationemque exiget et accepti et expensi, et resolutionem ultimi sui computi summatim scribi faciet quam ipse subscribet in libro designato, in hoc autem scripto simul constabit tam de summa accepti et expensi ab ultima visitatione quam de eo quod residuum fuerit uel etiam si quid debiti maneat.

Bona immobilia extra domum uisitabit, ea scilicet quae sine magno incommodo uisitari possint ut uideat num aliqua instauratione indigeant.

Si aliqua domus fundanda offeratur, attendet ad bonum publicum quod inde sperari potest, et quaenam conditiones exigantur, et an locus sit salubris et de hoc generalem admonebit nihil interim certi promittendo. \Non\

66-67

Non sinet domos aere alieno grauari, et pro ratione annuorum reddituum impensas et numerus personarum moderabit.

In uestimentorum ratione ad quatuor prospiciet. Primo, ut sint honesta. 2° ad usum honestorum Presbyterorum illius loci in quo uiuitur accommodata. 3° Sanctae paupertati non repugnent. 4° in ijs quod fieri poterit uniformitas cernatur.

Officinas, uestes, et reliqua mobilia inspiciet, nec necessaria deesse, aut superflua haberi permittet, et illorum fieri inuentarium curabit,

quod cum ultimae uisitationis inuentario a Uisitatore subscripto conferri faciet, obseruabit etiam quae teneatur economiae ratio.

**De ijs qui bonis suis nondum  
se abdicarunt.**

**Caput 9.**

Non permittet ullum ex nostris, bonis suis renunciare, nisi illum fore perseueraturum in sua uocatione apparuerit, atque in ea re maturo semper consilio procedat.

Non sinet ullum ex nostris pactiones inire cum parentibus suis, et quibuscumque alijs de legitima parte, et alijs bonis ad se pertinentibus, nisi Illi prius admoneantur Congregationem nullum habere jus ad huiusmodi bona, et Generalis de tota re primo informetur.

Si quae bona Congregationi donata fuerint, magnopere curabit ut cum aedificatione, et charitate et non

67-68

cum rigore exigantur, potiusque per Procuratores externos quam per nostros. Expediens quoque erit ut ex his aliquae eleemosinae pauperibus illius loci ubi huiusmodi bona fuerint distribuantur atque scripto declaretur, et constet quibus de causis, et sub quibus conditionibus talia bona data fuerint.

Non patietur ullum e nostris quidquam petere a parentibus uel amicis, sed omnia eis necessaria a Congregatione prouidebuntur.

**De modo quo cum Generali, et alijs  
Prouincijs, ac externis se habere debeat.**

**Caput X.**

Obedientiam, reuerentiam, et fidelitatem Superiori Generali exhibebit, et exemplo erit in hoc caeteris,

curabitque ut in eum singularis submissionis affectu ferantur, et propterea omnes de suis superioribus bene sentiant.

Magno studio curabit ut status domorum sibi commissarum Generali sit notus et apertus, utque Superiores domorum, sique consultores de eadem re ipsum pariter commoneant iuxta formulam scribendi.

Cogitabit de communi bono Congregationis, illudque iuuabit. Congregationes prouinciales suo tempore iuxta formulam traditam coget. Si quid annotauerit circa decreta, et constitutiones \uel\

68-69

uel quid accedat quod Congregationem generalem exposcat, Superiori Generali scribet, uel Procuratori tertio quoque anno ad eundem uenturo tradet.

Si occasio se obtulerit iuuandi alias Prouincias non deerit charitatis officio, et literarum communicatione iuxta formulam scribendi mutuam concordiam, et charitatem fauebit.

Curabit ut quisque se gratum exhibeat erga fundatores, et benefactores, si qui autem a Congregatione sint alieni pro uiribus nitetur ut melius informati reconcilientur.

Superioribus praescribet eleemosinas ordinarias, extraordinarias, quae possunt fieri iuxta facultates et obligationes domus quas ab eiusdem domus consultoribus audierit, bonorum uero ecclesiasticorum ampliores largiri faciet, maxime in locis ubi percipientur.

### **De communi ratione iuuandi**

**Proximos .**

#### **Caput XI.**

Intelliget praesertim sub finem studiorum qui ex nostris et quousque, et quibus functionibus Con-



gregationis domi, et foris maxime missionibus applicari debeant, eosque superiori designabit ut in eiusmodi ministerijs illos suo tempore exerceri curet.

Curabit ut iuxta ritum, et usum Romanae ecclesiae, et missae celebrentur, et alia sacramenta administrentur, et ut nostri predicatorum et catechistarum stylum et methodum Congregationis sequantur, sintque

69-70

uniformes. Si quis autem ad hanc regulam non se accommodaret, illum alijs ministerijs occupabit.

Providebit ut confessarij, Predicatores et Catechistae ad sua officia idonei sint, suasque regulas bene obseruent, praesertim, ut nihil pro functionibus missionis in retributionem aut munus accipiant curabitque ut priuilegijs apostolicis utantur.

In quibus locis duae Congregationis domus fuerint, alteram pro ordinandis et exercitandis, nec non pro Seminarijs externorum, alteram pro ipsis missionarijs, aut seminaristis internis destinari efficiet.

Curabit ut in honorem paupertatis Christi patientis ornamenta et paramenta nostrarum ecclesiarum non fiant ex {qua} panno praetioso, aut multum splendido imo ex {cilicio} cameloto, aut alio communi panno; et licet nonnulla serica, aut auro uel argento contexta ab externis donentur, non tamen ijs utemur, nisi diebus solemnioribus cum Diuinum Officium solemniter celebrandum est, aut cum Praelatus, aliusue ex dignioribus sacerdotibus apud nos sacrum faciet, in quibus casibus maiestatem Christi triumphantis [*sic*] uenerabimur.

Curabit etiam ut in festis quae a nobis solemnius celebrari solent, siue domi siue in missionibus maxime diebus, quibus Communio, ac processio puerorum faciendae sunt, ornatus ecclesiarum et apparatus ceremoniarum sit moderatus ac deuotus, et quoad fieri poterit, sine nimia distractione nostrarum, et molestia externorum. \Non\

70-7 1

Non permittet ut nostri externas Confraternitat ingrediantur nec in Domibus nostris ulli earum Conuentus agantur, nisi quae ad nostri Instituti finem spectant.

Si Domini nostri Antistites ad examen ordinandorum nos uocauerint, sententiam nostram non dicemus pro illis admittendis, aut dimittendis imo illud ipsis Dominis nostris Praelatis liberum relinquemus, si tamen id expresse iusserint, eis in hoc obediemus sed secreto, ita ut hoc ipsum nequaquam ad notitiam ullius ordinandi uenire possit.

## **De Missionibus, et Mutationibus nostrorum Caput XII.**

Non aberit a Prouincia sibi assignata sine Generali tate, nec Superiores particulares a domibus suis extra casum Missionum sine Uisitatoris licentia, nisi locus esset uicinior, et responsum a Generali, aut Uisitatori sat cito recipi non posset.

Si quem missurus erit ad rem alicuius momenti gerendam illum instruet, ut plurimum in scripto tam de modo agendi, quam de medijs, quibus eum uti uolet ad finem, quem in animo habet, et cum per crebram literarum communicationem totius successus certior factus fuerit ex eo loco ubi ipse commoratur consilio, et orationibus, alijsque rationibus eum iuuabit, ut persona, et negotium postulauerint.

Cum aliquem in aliam domum transferri oportebit ijs medijs, quoad fieri poterit, utetur ut ij, a quibus euocabitur potius beneuoli omnino maneant

71 (=71-72) quam offensi uel male affecti.

Neminem extra suam Prouinciam mittet, nec etiam missionum, aut alicuius negotij causa, aut nisi ei consta {...} lretr de Generalis uoluntate, uel conue-

niret cum Uisitatore illius Prouinciae, ad quam mittere aliquem uoluerit, ad Prouincias tamen extra Europam, et intra ipsam, hae mutationes sine facultate Generalis non fient.

Post obitum Generalis nullum ex ijs quibus ius suffragij inest procul uel extra prouinciam mittet ante conuocationem, et Congregationem Prouincialem nisi res aliqua urgens id postularet, et maior pars Consultorum ipsius talem mittendum fore iudicaret.

Plures e nostris missurus in locum longinquiorem, unum illorum cui maxime confidet, constituet praefectum aut superiorem aliorum.

Impensas peregre proficiscentium faciet domus illa ad cuius utilitatem iter conficietur; quod si in hoc aliquod dubium nasceretur, id Superior Generalis decidet.

Cum aliquem ab uno loco ad alium transferet, superiori, ad quem talis mittendus erit, tantam de ipso notitiam dabit, quanta ad eum cognoscendum et iuuandum {necesse} necessaria erit, et neminem de loco ad alium mittet sine literis patentibus.

## **De uisitatione**

### **Caput XIII.**

Singulis annis suam Prouinciam uisitabit, et diutius in locis immorabitur, ubi magis opus esse iudicabit

73-74

num sint confessariorum sedes, aut si quae ibi reperiantur, statim auferri iubeat, nisi domus ad curam animarum nos obligaret in quo casu uidebit an rite et ut decet sint fabricatae, aut si nullae forent, aliquas curet diligenter confici, et collocari.

Postea, ipsas personas uisitabit sese omnibus affabilem et beneuolum exhibens ne alicuius mentem subeat suspicio, quod ob sinistras aliquas informationes

minus hilarem uultum ipsis ostendat. Petet a Superiore et consequenter a Consultoribus, officialibus, et aliquibus antiquiorum numquid alicuius momenti sciant de statu domus, et si opus fuerit de hac informationem fieri curabit secreto, quam scriptam secum habebit nemini illam aperiendo et caebit ne quis suspicione assequi possit eos qui talia secreta sibi retulerint.

Huiusmodi informationibus acceptis et consideratis procurret cum Superiore catalogum personarum domus, breuemque de singulis ab eo capiet informationem.

Postea uocabit omnes sigillatim eo ordine, quo ei magis conuenire uidebitur, et singulos seorsim iuxta instructionem sequenti capite positam memoriter potius quam ex scripto interrogabit, et quae aduertenda iudicauerit, sibi memoriae causa scribet, quid uero a quoque interrogandum sit, illius prudentiae relinquitur.

Omnes hortabitur ad ueritatem sinceram dicendam ne ipsis imputetur si morbi propter eorum scientiam incogniti et latentes curari non possint

74-75

admonebitque teneri eos seruare sub secreto quid quid cum eo quod secretum requirit, transegerint, si ij a quouis alio qui ipso sit inferior de ea re interrogentur.

Non facile credet si quae forsitan referantur contra alios maxime contra Superiores sed ea notabit et expendet ut ueritatem assequatur, caebit ne dum subditos controlari studebit, illi debiliores in obedientia erga suos immediatos superiores reddantur.

Si quis diuisionis, aut dissensionis eorum qui una uiuunt inter se, uel cum suo capite autor [*sic*] esse inueniretur diligentissime ab ea domo uelut pestis qui eam posset inficere, si presens remedium non adhiberetur, separandus est.

Uisitatio rerum, aut partium domus iuxta ea quae in praecedentibus regulis praesertim in nono Capite huius

officij dicta sunt, fieri debet, in qua simul examinandae sunt regulae officialium, qui eius modi rerum curam habent. Si quid autem non solum informationem sed inspectionem requireret, ipse per se, aut per socium id praestabit.

Regulas communes coram superiore, consultoribus, et assistente examinabit, et si quae non obseruari intellexerit, consideratis causis, remedia adhibebit ut obseruari possint. Regulas autem assistentis, consultorum et admonitoris, concionatorum et sacerdotum itemque praecipuorum officialium, ipse per se cum ipsismet examinabit, reliquas uero aliorum officialium poterint socio, aut alteri, coram singulis eorum examinandas committere.

Uisitor rationem integram totius anteaetae uitae iuxta constitutiones ab illo exiget qui Congregationem

75-76

ingrediuntur et ab eo tempore quo ad studia missi sunt ab ijs qui illis absolutis, ad tertium seminarij annum peragendum mittuntur. Quod si aliquando per se praestare non poterit, substituet ad id ordinarie superiorem domus. Singulis uero annis in quandoque domo suae prouinciae absoluta rerum domesticarum uisitatione, aut in ipso uisitationis decursu (si quid opportunius in aliquibus fore iudicaret) rationem conscientiae ab omnibus accipiet ab ultima quam reddiderunt in praecedenti uisitatione iuxta modum inferius praescriptum. Quod si uisitatio circa renouationem uotorum incideret, talis renouatio erit uno circiter mense differenda, uel anticipanda ut ipso praesente fieri posset, et tunc ipse ad excipiendas confessiones generales nostrorum, aliquos magis idoneos confessarios designabit, eosque qui sibi confiteri uolent, benigne audiet.

Post omnium personarum uisitationem, ultimo die superiorem domus uisitabit, circa ea quae ad leius personam, et officium eius attinent iuxta officij eius regulas, et ea quae ex acceptis informationibus collegerit.

Absoluta cuiusque domus uisitatione, et rebus om-

nibus perspectis, ut laboris sui fructum capiat, denuo omnia quae accepit in uisitatione considerabit, et ea quae magis momenti fuerint diligentius expendet. Quid item clarum, quidque tantum probabile uideatur, et de quibus generalis consulendus est, et quae cum solo superiore domus, quae etiam cum consultoribus, et quae cum alijs particularibus

76-77

sint transigenda diligenter discernet.

Quae circa domus gubernationem ipsi ordinanda uidebuntur, haec uel illa ijs expedenda tradet, quod de unaquaque re melius iudicare confidat, et antequam ultimam executioni manum imposuerit, omnia in orationibus, et Missarum sacrificijs Deo commendabit, ut iuxta ipsius Diuinum beneplacitum dirigantur.

Demum capitulum culparum (quod in uisitationis decursu debet obmitti, et usque in hunc postremum diem differri) ab ipso Uisitatoe fiet, in quo omnes aut iuxta personarum numerum saltem aliqui ad hoc nominati de tribus ut plurimum praecipuis defectibus ab ultima uisitatione admissis seipsos more solito accusabunt. Deinde nouae ordinationes erunt legendae, et si opus est, explicandae. Denique breuem exhortationem ad ipsas recte, ac perseueranter obseruandas ipse habebit et continuo omnes schedae secretas informationes continentes coram omnibus igne comburentur, quibus omnibus absolutis statim omnes in genua prouoluti, et cum magna charitatis mutuae significatione sese inuicem amplexari in Domino conueniet.

Rebus omnibus ita peractis, et apud se constitutis, ipse in memoriali, seu libro in quo rerum temporariarum ordinationes scribi solent, ea scribet, quae ad tempus obseruanda ordinauerit, et ex eodem eos articulos praecedentium uisitationum quo executioni fuerint mandati, expunget. In libro uero, in quo nonnisi maioris momenti ordinationes scribendae erunt, ipse ea tantum scribet, suaque manu subscribet, quae cum Superiori Generali communicauit-

77-78

rit, et ab ipso fuerint approbata.

**Instructio de ijs, quae in uisitatione interroganda sunt.  
Caput XIII.**

Quae ad gubernationem pertinent a Superioribus,  
Consultoribus, et alijs, quibus uidebitur, petenda.

1. Interrogabit si quid grauius in ea domo accidisse extra Confessionem intellexerit et quod remedium fuerit adhibitum.
2. Quomodo seruentur regulae, quae ad Seminaristas Congregationis pertinent.
3. An aliqui maxime pueri, et mulieres inducantur ad uota emittenda, aut ad consilia alia obseruanda indirecte impellantur.
4. An aliquis domi si nimis affectus uideatur ad consanguineos, uel ad eorum subuentionem teneatur.
5. De numero, et sufficientia confessoriorum praesertim in domibus, ubi ad curam animarum attingimur, et de frequentia et fructu confitentium.
6. Quomodo fiant exercitia ordinandorum et seminariorum externorum; idem collationes seu conferentiae cum ecclesiasticis, aut alijs externis, et an confraternitates charitatis uisitentur, et foueantur.
7. Quanta cura insumatur in exercitandorum directione et quis fructus inde colligatur, et {de} lanl conferentiae de casibus, aut alijs studijs domi uigeant.
8. Quomodo literarum studia uigeant, et quam exacte seruentur quae de opinionum nouitate, et

78-79

et [sic] diuersitate, deque argumentandi ratione

instructa sunt. Sin an aliqui uideantur e studijs euocandi ad aliqua Congregationis munia, aut ministeria exercenda.

9. Quomodo missiones fiant, aut scilicet conciones, exhortationes et Catechismi ad methodum, et stylum in Congregatione consuetum sint accomodati. Item an Uisitationi infirmorum, et litibus componendis uacetur. Num quid pro functionibus in retributionem accipiatur, et an reliquae missionum regulae recte obseruentur.

X. An in domibus ad regimen animarum obligantibus functiones Curiales rite, et recte peragantur, caeteraque obseruentur, quae rituale Romanum, et regulae Praefecti ecclesiae praescribunt.

XI. Quibuscum et qua ratione fiant conuersationes tam inter nostros, quam externos.

XII. An aliqui praetextu infirmitatis relaxentur in uia perfectionis, et a laboribus instituti nostri aborreat *[sic]*, et ad otiositatem tendat.

13. An infirmorum et hospitem debita cura habeatur, et an nostri e missionibus, aut aliunde domum redeuntes benigne, et sollicite recipiantur.

14. An aliqua ambitionis, et proprietatis inditia in aliquo appareant.

15. Quanam eleemosinae externis pauperibus erogentur.

16. Ex quibus operibus pijs iuxta nostrum institutum maior fructus percipiatur.

Quae ab omnibus peti possunt.

1. Quomodo ualeat corpore et uiribus et quomodo ei

79-80

conueniat ratio victus, habitationis ac vestitus et exercitationis corporis, qua utitur.



2. Si quid habeat {habent} dubitationes, aut difficultates si quid ea ad suam consolationem, intuitionem, aut profectum fore putat, id confidenter proponat.

3. Quomodo a suis superioribus tractatur, et quid sentiat de illis tam de personis, quam de officijs eorum.

4. An aliquis superior impedierit libertatem subditorum scribendi ad superiores mediatos, aut quouis modo significauerit sibi non placere, ut nostri de ipso aut eius gubernatione ad eosdem scribant.

5. An nouerit extra Confessionem aliquid de quauis persona quod non ei probetur ut de inobedientia murmuratione, conpirationibus maxime contra superiores, et si quid parum honestum et incautum in familiaritate nimia cum aliqua persona accidisse, uel contra de dissensione.

6. Quomodo domi obseruentur constitutiones decreta communis ordo, et ordinationes, quae a Superiore G[e]n[era]li, aut alijs superioribus emanant.

7. Quomodo Congregationis ministeria erga externos exerceantur quod ad modum attinet.

Quem progressum faciant nostri in rebus spiritualibus, et quod omnium in solidis uirtutibus acquirendis studium.

8. Si de ijs, quae pertinent ad alias domos totius Prouinciae aliquid habet, quod alicuius momenti uideatur libere proponat.

Pro scholasticis addetur

1. Quid ingenij, memoriae, uirium, et propensionis ad literas  
in se

80-81

in se experiatur

2. An occupatione exteriori uel studijs remoueat et distrahetur a rebus spiritualibus.
3. An suadeat libros necessarios, an scribat, legat, disputet.
4. De suo profectu in literis quid sentiat.

Pro ijs qui in seminario interno uersantur.

1. An firmus sit in proposito uiuendi, et moriendi in Cong[regatio]ne.
2. An indifferens sit ad omnia Congregationis ministeria, et exercitia prout obedientia uocabit.
3. An exercitia spiritualia fecerit, caeteraque a seminaristis agenda peregerit, et in quibus plus profecerit et alia, si uidebitur ex examine seminarij interrogare poterit.

De modo accipiendae rationis Conscientiae .

Uisitor inter has omnes sui officij regulas illam maxime obseruabit, quae de ratione conscientiae nostrorum accipienda habetur, et cum quisque dixerit quae dicere uoluerit iuxta instructionem datam, poterit Uisitor, si quae existimauerit amplius interroganda id etiam facere quamuis quae hominem pudore multum afficient ea extra confessionem interroganda non essent, nec a singulis singula petet, sed prudenter, et circumspecte pro ratione personarum, denique eam suauitatem tenebit ut illa omnia non tanquam iudex exigere, sed ut benignus parens ob subditi consolationem cognoscere uel suadeatur.

Porro ut eiusmodi ratio conscientiae facilius, suauius, et

81 -82

fructuosius reddi possit, Uisitor uti lpoteritl breuiori formula. Eiusmodi ea est, quae a singulis men-

sibus in communicationibus ordinarijs utimur fitque ut sequitur.

1. Uisitor accurate omnes simul hortabitur, ut ad hanc rationem conscientiae melius se preparandum, meditationem faciant de hac materia, haec tria puncta continentem 1° motiua, 2° quid scit 3. media.

2. Ut de eodem subiecto fiat consequenter conferentia Praeside ipso Uisitore.

3. Ut quisque conscientiam examinet super quinque capitibus ordinarie communicationis scilicet 1° quatenam sit ea uirtus, quae a praeterita conscientiae ratione fuit tradita ut peculiari cura exerceatur; An scilicet in ea profecerit, uel non, secundo qui sint praecipui defectus ab ultima uisitatione admissi contra regulas, constitutiones, ordinem communem et proposita in exercitijs spiritualibus facta. 3° qui profectus in solidis uirtutibus. Item quae gratiae a Deo receptae, quae etiam consolationes spirituales, et lumina. 4. Qualem se sentiat circa uocationem, an firmus sit in ea, et omnia quae ad eam pertinent diligat. 5. Quae sit praecipua necessitas aut infirmitas tam animae, quam corporis, quodnam scilicet uitium in anima dominetur, et quomodo corpus ualeat.

4. Curabit ut quisque praedictam rationem conscientiae quinque capitibus constantem breuiter et \dis-\

82-83

distincte scripto mandet, et ipsi Uisitori tradat aut si opus est coram ipso legat.

5. Tradita cuiusque Uisitori communicatione continuo dabit illi in Spiritu lenitatis et charitatis instructionem conuenientem, ac remedia contra relapsum efficacia, quorum summarium ordinarie illi tradet in schedula in qua tres ut plurimum praecipui defectus eiusdem personae

ex dictis informationibus cogniti una cum actibus uirtutum oppositis scripti erunt.

6. Absoluta communicatione ut maiorem consolationem et edificationem det Uisitati, illum in spiritu humilitatis flexis genibus benedicet haec uerba ut plurimum pronuntiando. Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filij et Spiritus Sancti descendat super nos et maneat semper. Amen.

Demum Uisitator diligenter curabit ut haec pia accipiendae rationis conscientiae consuetudo tanquam caeterarum grauissima ac utilissima apud nos uigeat, et de hoc singulos suae Prouinciae superiores aliquoties admonebit rationemque accurate exigit in Domino.

De caetero quae superioribus particularibus quod ad eorum personas spectat in regulis praescribuntur eo diligentius seruare enitetur, quo pluribus pro ratione officij sui curae spiritualis studio praeire debet. Quod ut melius assequatur finem officij sui, et sanctitatem in Uisitatoe requisitam ante oculos habere diligenter studebit.

83-84

### **Regulae Superioris Particularis**

*De ijs quae ad eius personam, et totius  
Domus administrationem pertinent.*

Caput 1.

1. Superior particularis talis esse debet, qualis qui dirigere illos habet, quos uiros spirituales, et suae perfectionis aliorumque sanctificationis studiosos esse oportet, intelligetque sese uelut animam suae Domus, ideoque illam suis orationibus, sanctis desiderijs, et exemplis informare debere, omnique studio eniti, ut quaecumque in subditis requirit, primus in se ipso praestet.

2. In communibus regulis seruandis praelucere alijs studebit, et singularitatem in esu, uestitu, et

aliarum rerum usu quoad fieri poterit uitabit, cauebitque ne familiaritate atque indulgentia cum quibusdam alios offendat.

3. Consuetudines receptas, et a Generali uel Uisitatore approbatas seruabit, ac seruari faciet, alias uero si quae sint, a praecedente superiore inductas non mutabit inconsulto Uisitatore nec nouas introducet sine approbatione Generalis aut uisitatoris.

4. Eos qui domestica obeunt ministeria, exceptis quibusdam quorum electio ad Uisitorem pertinet, prudenter constituet, suas cuique regulas tradet, aliquando uisitabit, et prout in Domino conuenire iudicabit, uel in ijsdem ministerijs desinebit uel ab eis reuocabit, quia uero officia quaedam \ut\

84-85

ut bene fiant experientiam requirant, qui ad ea idonei inuenientur, non facile mutari debebunt.

5. Et prospicere officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit ne labore grauentur, debet, ita cum tempus uacuum illis fuerit ut utiliter illud impendant diuino seruitio, curabit.

6. Etsi potestatem habeat designandi confessarios suis subditis, ordinarium tamen confessarium domus non constituet sine approbatione Uisitoris.

7. Quamuis uti possit iussione absoluta seu in uirtute sanctae obedientiae, non tamen id faciet nisi rarissime et ex graui, et urgenti causa.

8. Imponet ordinarias tantum paenitentias quales sunt se in capitulo accusare, publice reprehendi, inter orationis repetitionem, conferentias, aliasque huiusmodi actiones publicas ueniam petere, osculari aliorum pedes, ministrare in culina, substrahere aliquid de cibo aut potu quotidiano, disciplinam facere.

9. Poterit in necessitate et ad maius bonum in regulis,

constitutionibus et decretis Congregationum generalium cum particularibus dispensare, dumodo [sic] uisitatorem de hac re quamprimum poterit certiore faciat.

X. Habebit librum in quo scribentur nomina suorum domesticorum qui uota emiserint adnotato tempore et loco; eorum uero qui non dum [sic] biennium expleuerint in catalogo separato habebit.

Curabit ut bene intelligat quae facultates a regulis istis, a constitutionibus, et ab ordinationibus

85-86

Superioris Generalis sibi conceduntur, ut in ijs quas non habet, sciat ad superiorem recurrere.

*De ijs quae ad Superiorem  
ad bonam administrationem iuuabunt.*

Caput 2.

Sollicite perspiciet ne assistens lsiue uice prepositusl et caeteri officiales suo desint officio omissis alijs quae possint impedire

Singulis uel saltem alternis hebdomadis cum suis consultoribus conueniet, nisi pro re nota aliquid extraordinarie esset consultandum de rebus maioris momenti quae pro temporum, et negotiorum uarietate occurrent, cum illis aget, quamquam ijs auditis penes ipsum erit de singulis statuendi facultas.

Consultores aliosque omnes cum ei proponunt aliquid, benigne, ac libenter excipiet, et praecipue cum sui admonitoris lofficiuml commissum erit, efficietque ut in sua domo, quae in formula scribendi praescripta sunt seruentur.

Penes se habebit libellum in quo scribentur Uisitationis suae domus a Superiore Generali approbatae, tum ordinationes alicuius momenti, quae ab eodem Generali innitentur, et quae perpetuae fuerint,

ab ijs quae temporariae sunt, separatim notabuntur alia uero quae Uisitor praescripserit in alio libro scribentur.

Integram habere conabitur cognitionem Instituti nostri quam assequatur 1° accurate legendo \Bullas\

86-87

Bullas, seu literas Apostolicas, Constitutiones et decreta generalium congregationum. Item regulas tam communes, quam sui officij, et aliorum qui sub sua cura sunt, ac etiam Uisitoris. 2° consuetudines receptas attendendo et obseruando, 3° in dubijs ad Uisitorem, aut si opus est ad Generalem recurrendo.

Libellum habebit in quem referet quaecumque sibi ad bonum statum domus agenda, aut ad Superiorem Generalem, uel Uisitorem subinde scribenda occurrent, ne memoria excidant.

Missas et orationes suorum pro occurrentibus necessitatibus communibus et priuatis moderate tamen iuxta consuetudinem Congregationis poterit indicare et applicare.

*De Cura nostrorum in Spiritu*

Caput 3.

Curabit ut omnes qui officialibus subsunt ipsis debitam {...} obedientiam praestent et officiales sibi, et ipse studebit ordinationes, Superioris Generalis, et Uisitoris exactissime exequi.

Operam dabit ut regulae et constitutiones exacte obseruentur, omnibus domesticis cum omni sollicitudine inuigilabit, eosque ab ijs quae nocere possent domi et foris defendet in Domino, cum preueniendo, tum etiam si quid mali acciderit remedium adhibendo.

Audiat saltem tertio quoque mense rationem \con-\

87-88

conscientiae quam sibi aut Isil non possit, alteri ad id deputato unusquisque reddet iuxta modum quo in officio Uisitoris prescribitur.

Meminerit ut in ipsis exercitijs spiritualibus, quae quisque singulis annis faciet, omnes uota renouent, praemissis ijs quae fieri solent.

Singulis diebus Ueneris exhortationem aut conferentiam faciet ipse uel alius ad id deputatus, in quibus aget de obseruatione regularum in genere, uel de aliqua illarum in specie. Item de charitate fraterna, de patientia, humilitate, et mortificatione, alijsque uirtutibus maxime de obedientia et simplicitate.

Crebro, et magna charitatis significatione subditis alloquetur de eorum tum corporis, tum maxime animae necessitatibus, maxime quos aliqua tentatione pulsari intelliget, quorum subleuationi quam citius incumbet siue per se siue p[er] alium.

Curabit etiam instrui coadiutores laicos ut misteria fidei probe teneant, et de eis pauperes quando et quomodo ipse iudicauerit informare possint.

In correctionibus et paenitentijs iniungendi rationem habebit dispositionis personarum, et aedificationis aliorum.

Correctiones (nisi secus dictet prudentia) faciet

1° in charitate et lenitate

2° in charitate, sed confusionem {...} linienciendol

3° eidem charitate timorem adijciendo.

Pro publicis defectibus publicas paenitentias \im-\

88-89

imponet, ea tamen non declarando, quae male aedificare alios possent.



Delegare poterit confessario, uel alijs uices suas ut eas paenitentias approbent, uel improbent quas ad maiorem sui spiritus profectum assumere quisque uolet.

Cauebit ne in danda facultate ieiunandi sicut et in alijs paenitentijs concedendis, mensuram rectae rationis et discretionis excedat, dabitque operam ut omnes intelligant ad singularitatem non pertinere si quis ieiunet aliquoties, alijs non ieiunantibus, dumodo [*sic*] ordinaria consuetudo ieiunandi quae iuxta constitutiones non sit, non introducatur.

Diligentissime curabit ut unio et conformitas mutua domi conseruetur, et si quae sit inter domesticos rixa, statim dirimatur.

Tam ipso quam alij sacerdotes qui ei uidebuntur iuxta consuetudinem Congregationis aliquando intra annum, officium uel officia eorum etiam Coadiutorum qui domi inseruiunt ad tempus aliquod obibunt.

Accurate uidebit scripta et literas omnes quae sribent ad domesticos, et quos ipsi ad alios sribent, aut aliquem uirum fidelem, et discretum ad id constituet, qui eas lectas reddat, aut retineat prout in Domino expedire sibi uidebitur, sibique referat si quid tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus sit, et curabit ut si quid praecedendum sit id fiat, res autem uanas aut quae aliqua ratione offendere possent

89-90

neminem scribere permittet. Nec sigillum quemquam scabere sinet, absque Uisitatoris facultate, caeteraque obseruari faciet quae in regulis de forma scribendi prescripta sunt.

Nulla domi erunt arma, nisi necessitas loci et temporis id requirat, aut instrumenta musica nisi organa maxime portabilia, et manichordia et similia quae ad organizationem addiscendam conducunt nec ullae nouae recreationes {introducentur} lintroducentl.

*De literarum studijs*

Caput 4.

Neminem ad inchoanda studia admittet nec eos qui ad illa ex Uisitatoris commissione admissi fuerint, ad aliam facultatem promouebit absque eiusdem Uisitatoris approbatione, cui post maturam considerationem et examen de unoquoque suo tempore significabit quid sentiat.

Impedimenta remouebit quae a studijs animos scholasticorum auocant, qualia sunt nimiae mortificationes uel deuotiones, uel externae occupationes et circa illorum ualetudinem peculiari cura animaduertet, ut et in laboribus mentis modum seruent, et in ijs quae ad corpus pertinent rationabili commoditate tractentur. Modestius in studijs perseuerare tam in literis addiscendi, quam in eisdem exercendis ad Dei gloriam possint.

Uidebit quomodo praeceptores nostri in literis et scientijs omnes suo munere fungantur curabitque

90-91

ut ij maxime qui philosophiam et theologiam docent, aut addiscunt et obseruent quae in regulis tam communibus, quam Uisitatoris atque studiorum praescripta sunt. Intelliget etiam per se uel per alios quomodo scholastici in suis studijs proficiant, quod si animaduerneret aliquem in ijs inutiliter tempus terere, ad Uisitatorem referet.

Singulis hebdomadis dies saltem a prandio scholasticis ad quietem declinatus sit, in quo eos ad hortum aut praedium domus, uel alio exercitij corporis, uel recreandi animi gratia mittere poterit, in reliquis autem studiorum intermissionibus sequetur ordinem a Generali uel Uisitatore institutum.

Etsi praeceptores pro seminarijs externis sicut et pro scolasticis nostrae Congregationis instituere non potest absque Uisitatoris facultate, ad tempus tamen, necessitatis gratia, id facere poterit.

Regulae ad scholasticos Congregationis pertinentes in certo loco ad id deputato, et ab externis separato, singulis annis ter aut quater saltem coram nostris legentur, quae uero pro externis, tam puerorum quam ecclesiasticorum seminarijs, apud nos sint praescriptae, singulis saltem mensibus coram illis legi debebunt.

Sub finem studiorum cuiusque suarum esse partium superior intelligit et auditis consultoribus, Uisitorem de uniuscuiusque talento admonere et quantum singuli profecerint referre, et num aliqui ad sacros ordines promouendi sint, aut in

91 -92

confessarios, aut concionatores, aut praeceptores et lectores proponere.

*De ordine domestico*

Caput 5.

Singulis diebus post orationem matutinam celebrabitur Missa cui intererunt omnes qui sacerdotes non sunt, exceptis ijs qui tum ad horas canonicas simul recitandas sunt deputati, aliique tam laicis quam clericis quibus propter peculiare causas aliud tempus ad sacrum audiendum concessum est.

Quando nostri maxime clerici ad Sacram Communionem accessuri sunt praesertim diebus dominicis, et festis solemnibus, curabit ut omnes simul si commode fieri poterit, in ecclesia id faciant separati tamen ab externis, caeteraque in hac re obseruentur quae in regulis Praefecti Ecc[lesia]e praescribunt[ur].

Tempore orationi, et reliquis exercitijs assignato, erit aliquis qui obseruet num omnes {in} ijs uacent, quod etiam assistens, et ipsemet Superior aliquando praestabit.

Sindicum domi constituet, ubi assistentis aut subassistentis opera ad id non uteretur, cuius officium erit obseruare in omnibus {quo} lquodl ad honestatem

et decentiam externam pertinet, ecclesiam et domum in locis publicis perlustrando et si quid quod non conueniat, annotauerit, Superior referendo, praeter hunc alios particulares syndicos in classibus singulis habebit, qui, quantum fieri

92-93

poterit, ex prudentioribus et maturioribus eligentur.

Omnes scholastici praeter ipsos quos ipse iudicauerit excipiendos, horae quadrantem ante prandium uel caenam corporis exercitationi tribuent.

A prandij signo ad caenam, octo ad minimum horae intererunt iuxta morem regionis, a tempore autem quo se cubitum nostri receperint, usque ad signum quo excitantur, septem.

Benedictio et gratiarum actio in refectorio iuxta usum Breuiarij Romani in prima mensa fient, in secunda uero et priuata retineri possunt antiqua benedictio, et gratiarum actio quae a singulis summis et stando fieri debent.

In mensa sacerdotes praecedent alios ad eum gradum non promotos, sed nec inter sacerdotes nec inter eos qui sacerdotes non sunt ullus ordo constituetur.

Si aliqua de causa superior prima mense adesse non poterit, curabit ut assistens adsit.

Dominicis diebus et festis si commode fieri possit et alijs etiam si superiori uideatur, erunt aliqui a Superiore electi, maxime a Scholasticis qui domi inter caenandum pro lectione concionem habeant quibus conueniens aliquod tempus eodem die ad se parandum pro Superioris arbitrio dandum erit.

A prandio et a caena hora una, diebus autem Ueneris post collationem uespertinam dimidia recreationi religiose impendetur; idque in loco uno, si commode fieri poterit, sed neque extra huiusmodi horas, labores nimium continuari sine aliqua conuenienti relaxatione sinet.

93-94

Conferentiae casuum conscientiae aut controuersiarum aut aliarum materiarum ad missiones faciendas pertinentium singulis, aut saltem alternis diebus idque toto tempore estiuo quo Missionarij solent missiones intermittere, habebuntur, quibus sacerdotes omnes qui commode poterunt, tum eorum alij ad laborandum in uinea Domini destinati pro superioris arbitrio interesse debebunt praeside docto aliquo qui ea, de quibus agetur luculentius explicare et distingere [*sic*] possit. Tempore uero Missionum, sicut etiam post ipsas, cum domum redierint Missionarij, fiet quando per tempus licebit semel saltem in hebdomada prout superiori expedire uidebitur.

Scholastici omnes ubi aliqua fuerit eorum copia pro more Congregationis, nisi quis eximendus uideretur aliquoties in mense, diebus dominicis uel festis, ad finem recreationis post prandium in ratione concionandi exercebuntur, de ijs crebro tractantes quae ad sui abnegationem, et in uirtutibus profectum, et fraternam charitatem spectant.

*De ijs quae ad res temporales spectant.*

Caput 6.

Item domi suae temporalia subsidia adijci, et conseruari curabit, ut primo queratur Regnum Dei et Iust[iti]a eius.

Generalem admonebit si quid stabile domui donatum legatumue fuerit, et quibus conditionibus id acceptum, ut non nisi de eius consilio id onus assumat, et retineat, aut restituat quod datum fuerit.

94-95

Singulis mensibus a Procuratore rationem accepti, et expensi praesente assistente exigat ut totius domus administrationis ratio ipsi constet, eamque reddere posset Uisitati, et cauebit ne domus aere alieno grauetur.

In ijs quae ad uictum, uestitum, et habitationem et

alia corporis necessaria spectant, curabit ut quamuis sit in quo probetur uirtus, et sui ipsius abnegatio, non desit tamen quo sustentetur natura, habita conuenienti ratione personarum.

Maxima erit illi cura aegrotorum, efficietque ut diligenter obseruetur tam in uictus ratione, quam in caeteris quae medicus praescripserit.

Curabit ut si cui particulari quidquam ab externo aliquo missum aut donatum fuerit, id in communem usum accipiat et dispensetur.

Lites forenses fugiet, nec ullam inconsulto Uisitatores intentabit, aut intentae respondebit nisi cogatur.

Si bona alicuius e nostris distribuendi essent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius momenti, et expensae extraordinariae faciendae, aut si bona offerrentur cum aliqua obligatione, rem ad Uisitatorem referet.

Cauebit ab expensis minime necessarijs, aut parum utilibus, propterea nullas suscipiet inconsultis suis consultoribus et sine approbatione Uisitatoris, nec quae a praedecessoribus facta fuerint improbabit aut immutabit; si quid domi aut in praedijs aedificandum, destruendum, aut {...} innotabiliter mutandum fuerit, id non fiet nisi consulto eodem Uisitatores.

95-96

Depositum pecuniae nullum prorsus admittet, aliasque uero rerum nisi cautissime, dummodo sint eorum quibus multum debeamus aut alioquin id officij sine magna offensione denegari non possit.

Neminem in causis ciuilibus nedum criminalibus examinari nisi leol qui ad peccatum obligare potest compellere permittet absque sui licentia, quam minime dabit, nisi in causis quae ad religionem Catholicam pertinent, aut alioqui piae sint, et ita uni faueant ut non in alterius detrimentum cedant.

Nullum domi iumentum equitandi causa ad usum

alicuius de ipsa Congregatione ordinarie habebitur nisi aut propter continenter infirmam alicuius ualetudinem, aut propter publica negotia id necessarium, et urgens iudicaret generalis.

*De auxilio animarum, communicatione  
cum externis, et gratitudine erga Fundatores et Benefactores*  
Caput 7

Diligenter curabit ut nostri in exercitijs Congregationis maxime quae ad missiones, ordinandos, exercitandos et seminaristas externos spectant, occupati semper inueniantur, ita tamen ut (quod fieri poterit) labore non grauentur.

Prouidebit ut continuo domi sit saltem aliquis designatus ad exercitia spiritualia tradenda et confraternitates charitatis uisitandas.

Curabit etiam ut aliquoties intra annum fiant \conferentiae\

96-97

conferentiae de ratione recte et fructuose tradendi exercitia spiritualia, et alias functiones Congregationis rite obeundas.

Non permittet ut nostri directionem suscipiant mulierum ne quidem monialium, in decursu tamen missionis poterit permittere ut apud moniales id postulantes de consensu eorum qui eis praesunt concionentur, earumque confessiones audiant, puellas uero charitatis iuxta ordinationem a Superiore Generali, aut Uisitatore acceptam diriget.

Ibit ad missiones, aliaque huiusmodi Congregationis ministeria exercebit, cum per officij sui occupationem licebit.

Ecclesiasticos externos ad laborandum in missionibus non admittet, neque etiam domi ad ullam Missionarij functionem illos applicabit absque Superio-

ris Generalis aut Uisitoris licentia, externos tamen seminaristas suae domus quos idoneos iudicauerit, missionibus suo tempore iuxta eorum regulas applicare poterit, et etiam debet. Idem obseruabit quoad ecclesiasticorum conferentias.

Mulieres inuisere, aut ad eas scribere nostris non permittet, nisi in necessitate, et cum spe magni fructus, idque tantummodo uiris ualde probatis, et prudentibus.

Non {sinet} llicebitl feminis domum nostram intrare.

Non permittet ut nostri cibum capiant apud externos, aut externi nostros aegrotos inuisant, nisi causa non leuis momenti ad id concedendum moueret.

Nec permittet ut primarios uiros loci assuescant

97-98

inuisere, nisi piorum operum gratia, neque sinet illis offerri munuscula ad aliquem fauorem obtinendum.

Amicos magna sollicitudine conseruabit, et suis orationibus, caeterisque medijs conuenientibus in amicitiam recusabit eos qui male erga nos affecti fuerint.

Curabit diligenter ut obseruentur quae erga fundatores, et benefactores obseruanda fuerint eisque gratitudinem exhibebit.

*De ijs, qui admitti petunt, ad Domum diuertunt, aut foras mittuntur.*

Caput 8.

In Congregationem neminem admittet nisi a Generali aut Uisitore id ipsi committatur, sed de ijs qui admitti petent ad Uisitorem referet, uel scribet quales illi sint, et quibus donis Dei praediti.

Si is qui admitti petit fuerit ad nostrum institutum



ualde idoneus, et necessitas urgeret, poterit eum tanquam hospitem domi recipere, donec responsum a Uisitatore acceperit, uel ad eundem mittere, si expedire iudicauerit; recedentem sine licentia ab alio loco Congregationis, uel ab ea dimissum non admittet, sed si uideretur expedire eum recipere ad Uisitatore[m] de eo scribet, et eius dum responsum expectabit, eum poterit ut hospitem detinere in aliquo loco particulari domus sine ulla Communicatione cum nostris, uel si uideb[itu]r in alio pio loco. \Cha-\

98-99

Charitatem magnam exhibebit erga de nostra Congregatione p[er] domum transeuntes, eosque iuuabit in omnibus quorum opus habebunt.

Cum quis domo egreditur dabit ei socium conuenientem, et neminem mitti foras solum sinet, nisi sic probatissimus pro re magni momenti et necessitate urgente.

Neminem ex hac domo in alium locum mittet sine literis patentibus.

Plures e nostris missurus ad laborandum in uinea Domini unum illorum cui maxime confidat constituet praefectum seu Directorem aliorum.

Si quem ob domus zelum male se habere continenter cerneret, uel alia ratione uideretur mutandus, ac Uisitatore[m] admonebit, an alio mitti debeat.

Profecturi ad alia loca, ea quam sottanam uocant et alijs interioribus indumentis, quibus utuntur priuari non debebunt, nisi forte ratio temporis aut alioqui charitas suaderet melioribus esse commutanda. Reliqua uero omnia quae ad iter necessaria essent, magna charitatis significatione ab eo loco unde mittentur, subministranda erunt sumptibus tamen eorum quorum erit expensas itineris soluere.

Externi non accipiantur hospicio ut noctu pernoctent nisi exercitiorum spiritualium gratia. aut nisi

ij sint, quibus multum debeatur, aut id officij {sine} sine magna offensione praetermitti non possit, qua in re habebitur praecipua ratio eccle[siasti]co[rum] et Religiosor[um] cum necessitatis causa ad nos diuertent.

99-100

### **De Congregatione Generali quando de electione Superioris G[e]n[era]lis agitur.**

Ubi Superior Generalis e uita decesserit illa clauis arcularum in quibus ipse schedulas duas at alterius Generalis electionem, nec non Uicarij Generalis nominationem spectantes lclausuritl continuo antiquiori Missionario sacerdoti illius domus in qua obierit, modo non sit ex assistentibus lGeneralisl custodienda, donec tempus aduenerit ipsas arculas recludendi, ab alijs antiquioribus tunc praesentibus tradetur, nisi ei prius scilicet tempore {...} laegrotationisl dicti Generalis iam tradita fuerit, ut in regulis eiusdem Generalis fusius habetur. Arcula autem schedulam Uicarius Generalis futuri continens, coram Assistentibus alijsque nostrae Congregationis Presbyteris, qui tunc domi aderunt, aut saltem maiori eorum parte ad hoc negotium conuocatis, ab eodem antiquiori, cui primus Assistens alteram clauem ad hoc coram alijs dederit quam primum fieri poterit, etiam ipso die obitus aperietur, et continuo schedula palam ab eodem antiquiori explicata, omniumque oculis exhibita, et ab uno quoq[ue] recognita, illam esse manu dicti Superioris Generalis scriptam, is cuius nomen in dicta schedula repertum fuerit, sine controuersia Gen[era]lis Uic[ariu]s censebitur quod si contigerit illum qui in schedula praefata nominatus fuerit Uicarius Generalis e uita decessisse, aut graui morbo \detineri\

100-101

detineri, alioue modo impediri quominus suo officio ut par est, uacare possit, tunc qui inter Assistentes antiquissimus ratione uocationis repertus fuerit hunc omnes admittere, ut Uicarium Generalem tenebuntur.

Is autem qui nominatus fuerit Uicarius Generalis conuentum generalem ad electionem Superioris Generalis conuocabit, quam primum poterit, habita scilicet ratione maioris uel minoris dilatationis Congregationis nostrae, ita tamen ut non possit excedere spatium quinque uel sex mensium. Quocumque modo Congregatio fuerit dilatata, curabit ut ij per quos fiet conuocatio moneant ut ubique missae celebrentur, et preces fiant pro felice electionis successu, electio autem praedicti Superioris Generalis fiet per Uisitatores, Assistentes defuncti Generalis et duos ex singulis Prouincijs deputatos a conuentu Prouinciali in qualibet Prouincia ad dictorum Deputatorum electionem facto designatos, deputati uero erunt ex numero sacerdotum, qui non solum quatuor uota Congregationis emisissent, sed qui post dicta uota emissa sexennium, ut minimum in Congregatione exegerint nisi fuerint ex eorum numero qui et si uota non emisissent recepti fuerint in Congregatione biennio ante festum sancti Matthiae Apostoli anni millesimi sexcentissimi quatragesimi *[sic]* secundi. Si autem contigerit ut aliquis ex ijs qui dicta uota non emisissent eligatur Superior Generalis, tenebitur illa emittere (si ei gratum fuerit) sin

101-102

minus, fiet alterius electio.

Postquam uero conuentus Generalis defuncto Superiore Generali conuocatus fuerit a supradicto Uicario generali quem nominauerat ante suum obitum, ut illum representaret post eius mortem, et dicti conuocati aduenerint, dictus Uicarius Generalis ad eos exhortationem per se, uel per alium habebit, quae tribus punctis constabit. Primum, exponet rationes, quas habent, se Deo speciali modo deuouendi ad eum eligendum, qui sit insignitus ijs animi et corporis dotibus, quae necessariae sunt superioris Generalis personae substinendae. 2<sup>o</sup> Declarabit quibus conditionibus ornatus esse debeat, et eas referet, quae in regulis Superioris Generalis continentur. 3<sup>o</sup> exhibebit media quibus uti debent ut rite se gerant in eiusmodi electione, in-

ter autem haec media exponet contineri in arcula quadam, quae sequenti sessione aperietur schedulam manu defuncti Superioris Generalis scriptam, quae declarabit dictum superiorem Generalem (cum esset in exercitijs eo fine ut statueret Congregationi duos uiros, qui eius iudicio proprius accederent ad eas dotes, quas ad Superioris Generalis personam substinendam requiri putaret, in fine Missae, cum se collocasset in eo statu, in quo optabat esse in die iudicij post suum obitum) ipsos reipsa designasse, quos tanto oneri ferendo magis idoneos esse crederet, et concludet tunc temporis ad eos pertinere uelle e duobus \unum\

102-103

unum eligere uel tertium, quem gratum habuerint cum aliorum duorum exclusione. Finita exhortatione, dicti conuocati conferre poterunt inter se mutuo de conditionibus animi, et corporis eorum quos pares esse in Domino crediderint huic Prouinciae capessendae; die sequenti liberum etiam eis erit adire quibus magis noti sint, sed ita tamen ut non declarent quo fine eos ea de re consulunt, et nullatenus apud se statuant, quem sint electuri donec secunda sessione in eo loco conclusi fuerint, in quo fieri debet electio, ubi autem in predicto loco Congregati fuerint nullum inter eos amplius fiet de praedicta electione colloquium, se Deo tanti ponderis negotium tunc temporis pro uiribus commendabunt, ut ostendat quem eligerit ipse, et quilibet tenebitur sub poena excommunicationis latae sententiae deferre ubi primum in eius notitiam uenerit Uicario Generali, aut alicui ex quatuor antiquioribus non ratione aetatis, sed ingressus in Congregatione, qui intersunt huic conuentui Generali; si sciat aliquem esse ex conuocatis qui uerbo, aut nutu, aliorum signo demonstrauerit affectasse, uel ambisse aliquando, aut adhuc affectare, uel ambire dictum Generalatum uel pro se, uel pro alio; quod si ita esset uicarius Generalis, et quatuor antiquiores diligenter ea de re se informabunt; et si contigerit accusatum

103-104

evidenti Testimonio conuictum fuisse, ipso facto in perpetuum omni suffragio actiuo et passiuo in dicto Conuentu Generali, et in caeteris omnibus conuentibus priuabitur; si autem ipse Uicarius Generalis in hoc crimen inciderit, accusator directe adibit aliquem ex dictis quatuor antiquioribus qui secundum praedictam formulam in eum informabit.

Cum dies electionis aduenerit qui tertius erit inclusiue a prima sessione Conuentus Generalis, quia dies erit intermedius inter primam sessionem, et secundam in qua dicta electio fiet, celebrabitur sacrosanctum Missae sacrificium ab uno ex Conuocatis cui caeteri omnes conuocati aderunt, et sacram synaxim recipient. Deinde omnes, qui facultatem habent eligendi ad pulsum tintinabuli ad eum solum conuocabuntur in quo {...} fieri debet electio. Primus Assistens defuncti Generalis, cuius fidei {fidem} lideml Superior Generalis commiserit alteram clauem eius arculae, in qua duorum nomina includuntur, quos puta {bat} luitl digniores, ut ex ijs alter in eius successorem eligatur, accedet ad mensam in medio collocatam, et in ea coram omnibus dictam clauem deponet, similiter dictus antiquior suam offeret, deinde ambo in suum locum uicissim redibunt, et continuo Uicarius Generalis breuem habebit exhortationem, cuius (ut prioris) finis erit {...} lexl hibere rationes quas haberet, se in praesenti opere gerendi ea ratione, qua se habuisse

104-105

uoluissent in hora mortis; 2° quid praestare debeant, ut haec electio ad maiorem Dei gloriam peragatur, et post hymnum Ueni Creator Spiritus conuocati omnes concludentur in loco electionis ab uno e Congregatione ad illud opus deputato. Ideo ut non possit inde exire, et administrari eis nihil aliud possit praeter panem, et aquam, donec Superiorem Generalem eligerint, ut autem illud ordine fiat, prius per pluralitatem suffragiorum secretarius, et unus assistens iuxta formam quae sequitur, eligentur. Singuli quos elegerit in schedulis scribent, easque tradent Uicario Generali, quibus ab eo lectis, et a duobus an-

tiquioribus ratione ingressus in Congregationem ex ijs quae in dicta conuocatione generali aderunt qui plura sortiti fuerint suffragia secretarius et Assistens dicti {di} conuentus Generalis habebuntur lqui statim iuramentum de secreto et fidelitate seruandis praestabuntl. Tunc demum peracta hac electione, aperietur dicta arcula, in qua defunctus Generalis inclusit in scheda duorum nomina, quos sentiebat digniores et ex ijs alter ei succedat, ita tamen ut Congregationi remaneat ius alium eligendi, qui magis idoneus ad hoc munus ei uisus fuerit, ut etiam notat[ur] in regulis Superioris Generalis, quae scheda alta uoce legetur a Uic[ari]o Gen[era]li, eamque exhibebit omnibus presentibus, ut notum illis fiat dictam schedulam manu defuncti Generalis scriptam fuisse.

105-106

Si autem contingeret omnes communi inspiratione motos non expectantes ordinem suffragiorum aliquem eligere, ille ab omnibus habeatur superior Generalis, quoniam spiritus sanctus qui omnes ad huiusmodi electionem commouit quamlibet eligendi formulam abunde supplet.

Quod si predicta ratione electio non fiat, ecce formulam quae erit obseruanda. Ubi aperta erit dicta arcula et scheda defuncti Generalis lecta, quilibet apud se Deum orabit, et in silentio in conspectu diuinae eius Maiestatis eum eliget quam magis idoneum esse senserit. Deinde ad alterum mensae extremum seorsim se collocabit, ibique in schedula formulam iuramenti infrascripti continente, continuo eius nomen, quem Superiorem Generalem nominabit, scribet, et suum subscribet; deinde complicatam huiusmodi schedulam sibi seruabit statimque suam sedem repetet, postea singuli suo ordine uicissim idem peragent, incipiendo scilicet a Uicario Generali; quem sequetur secretarius, deinde assistens denique caeteri conuocatorum suo ordine accedent et recedent, quod totum negotium quoad fieri poterit, unius circiter horae spatio perficietur. Postea dictus Uicarius

Generalis, et cum eo Secretarius Gen[eralis] et Assistens paulo ante electi surgent, et continuo ipse Uicarius Generalis protestabitur se nullum eligere uelle, qui requisitis conditionibus non sit

106-107

praeditus, nec eum reicere qui sit ijs insignitus, quibus peractis totum coetum absoluet ab {iis--} lomnibus lcensuris {quibus quos incurrere potuisset electionis causae} |{ad} effectu tantum electionis faciendael. Deinde inuocato Sancti Spiritus auxilio ad dictam mensam accedet, et coram omnibus uiua uoce iurabit se eum nominare quem coram Deo huic oneri ferendo magis esse idoneum credit. (Iuramentum uero sub his uerbis concipietur.) Testem inuoco cum omni reuerentia Jesum Christum qui sapientia est eterna quod ego N. illum eligo, et nomino in Praepositum Generalem Congregationis Missionis, quem sentio ad hoc onus ferendum aptissimum. Quo facto {quidem} idem dictam schedulam sua manu subscriptam, dictum iuramentum, nomenque eius quem elegit continentem, coram Assistentes, et caeteris omnibus tradet Secretario, qui eam in pixidem obseratam supremam sui parte unius scilicet pollicis ductu patentem lmittetl ; postea dicti secretarius et Assistens, et quilibet a conuocatis idem obseruabunt, dictum scilicet iuramentum quisque sigillatim pariter emittendo, et schedulam suam propria manu similiter subscriptam, iuramentum et nomen eius quem eligunt, continentem dicto Uicario Generali palam et in conspectu omnium tradendo quam dictus Uicarius in pixidem etiam in oculis omnium mittet, sed ea ratione, ut qui secundo loco suam

107-108

schedulam missurus est non surgat donec Prior suam tradiderit, et in suum locum redierit, quod cetere ordine suo obseruabunt. Deinde secretarius dictas schedulas ex pixide sigillatim sumet, eas euoluat et ostendet Uicario Generali, et assistenti, et emisso eligentis nomine, legat alta uoce eius nomen, quem quilibet

schedula designat. Tunc dictus Uicarius Generalis et dicti secretarius et Assistens sigillatim numerum nominatorum conferent et qui plus quam mediam partem suffragiorum sortitus fuerit erit Praepositus Generalis. Tunc Uicarius Generalis petet a toto conuocatorum coetu si gratam habeant eius electionem quem maior eorum pars Superiorem Generalem nominauit, quibus consentientibus hac ratione decretum electionis formabit. In nomine meo, et omnium idem sentientium eligo in Praepositum generalem Congregationis Missionis N. et continuo omnes eum sigillatim genibus in terram flexis salutabunt, eiusque manum humiliter osculabunt. Qui uero electus fuerit commissum suis humeris onus, dictamque salutationem ab omnibus exhibitam non reuuet, eius memor, in cuius nomine gratam habere debet electionem. Tunc demum hymnus Te Deum laudamus concinetur. Si uero nullus plus quam mediam partem suffragiorum sortitus fuerit conuocati omnes

108-109

conuenient referendum esse totum electionis negotium tribus aut quinque electoribus, qui pluralitate suffragiorum nominabuntur, ea ratione, qua prius peracta est Secretarij, et Assistantis electio. Is uero, cuius electioni maior pars trium uel quinque electorum consentit, censebitur, et salutabitur Superior Generalis totius Congregationis pro qua electione Deo agent gratias et dictus hymnus Te Deum laudamus etc. ut supérius dictum est concinetur. Ecce iuramenti formulam, quod pro electorum electione praestabunt. Testem inuoco Jesum Christum qui sapientia est aeterna quod ego illum eligo et nomino in Praepositum Generalem Congregationis Missionis, quem electores ad id constituti elegerint et nominauerint.

Post dictam Praepositi Generalis salutationem nulli suffragium suum reuocare, aut nouam elect[ion]em tentare fas erit, et debet quilibet apud se mature cogitare an uelit esse schismaticus, et haberi author ruinae, et subuersionis totius Con-



gregationis, incidere in excommunicationem latae sententiae, et subire graues alias censuras, quas Uicarius Generalis, aut Superior Generalis nouissime electus in eum fulminabunt. Si autem contingeret electionem inuente ipso Superiore Generali, esse faciendam quandolice ipse ob aliquod delictum

109-110

aliasue causas in regulis Prepositi Generalis assignatas, est a Congregatione depositus, aut expulsus. Tunc illorum duorum ab ipso Superiore Generali in schedulis inter exercitia spiritualia nominatorum nulla erit ratio habenda, imo statim post eius depositionem de alio eligendo, idque iuxta dictam formam procedetur, ijs missis, quae de duabus arculis schedulas duas pro electione continentibus praescripta paulo supra referuntur.

Absoluta Superioris Generalis electione de rebus alijs grauioribus tractari poterit, idque eo modo quo fit, cum non de electione Superioris Generalis agitur, ut capite sequenti habetur.

### **De Congregatione Generali quando non de electione Generalis, sed de alijs rebus agendum est.**

Congregatio Generalis quae non fit ad electionem superioris generalis, sed ad alias res grauiiores tractandas indicitur ab ipso Superiore Generali excepto casu, qui habetur in regulis Generalis articulo 5. Eius etiam est tempus conueniens et locum aptum ad hoc negotium praescribere. Conuocatio fit iuxta praedictam formulam {quae} lquaml in generali eligendo seruari debet dictum est supra, sed non est necesse, ut conuocati concludantur quamuis nitendum sit, ut res

110-111

propositae quam expeditissime tractentur Omnibus autem in loco designato congregatis

quisque suo ordine super re proposita breuiter feret sententiam. Huius summa in scheda des- [sic] scripta in medio super mensa deponetur ut si qui uelint eam legant, et quod ea de re sentiant in sequenti Congregatione dicant. Rebus agitatis hinc inde in una, uel pluribus Congregationibus si nihil in alteram partem constitui uideretur, communi omnium, uel fere omnium assensu, quatuor qui definiant ex ijs, qui interscint [sic] Conuentui, et in eo ius habent suffragij, plurium sententijs, quibus alij se stare uelle compromittant, eligantur qui quoties opus [fiet] Ifuerit] cum Generali congregati, omnia ea de quibus agitur decident. Quod si omnes eiusdem sententiae non fuerint, quo urget maior pars, id praefendum, et a tota Congregatione, ut de manu Domini admittendum erit. Notandum autem quod Superior Generalis in Congregatione habet duo suffragia, et prerogatiuam in paritate, Uicarius uero Generalis, et uisitor tantum praerogatiuam in paritate.

## **De congregatione Prouinciali**

1. Sex in casibus cogendae sunt Congregationes Prou[incia]les

1° ad electionem Generalis in locum demortui

2° si unquam occurret (quod Deus auertat)

111-112

Generalem esse deponendum. 3° si iudicio Assistentium et Uisitorum Superior Generalis cogeret Congregationem generalem. 4° Si Generalis una cum procuratoribus seu deputatis qui tertio quoque anno ex praescripto articuli de trienniali Congregatione ad Generalem conuenire debent, Congregationem generalem cogendam esse iudicauerint. 5. ad eligendos tertio quoque anno huiusmodi procuratores seu deputatos. 6. si ipse per se generalis ad aliqua magni momenti negotia generalem congregationem conuocaret. Atque uero omnia in solis Europae Prouincijs locum habere intelligenda sunt. Nam extra Europam neque more aliarum ad electionem Generalis conuenire

possunt neque tertio quoque anno Procuratores mittere tenentur.

2. Eam conuocare pertinet ad Uisitorem.

3. In ea intererunt, et ius suffragij habebunt, Uisitor, omnes Superiores domorum Prouinciae et praeterea ex singulis domibus unus Sacerdos qui post quatuor uota Congregationis emissa sexennium ut minimum in dicta Congregatione exegerit pluribus suffragijs electus a sacerdotibus singularum domorum, qui dicta quatuor uota emiserint.

4. Si agitur de mittendos ad Congregationem generalem \duo\

112-113

duo sacerdotes, qui post uota emissa, sexennium in Congregatione exegerint, eligendi sint comitaturi Uisitorem. Si uero agitur de electione Procuratorum, qui tertio quoque anno a Generalem mittuntur, eligendus est unus sacerdos qui post quatuor uota emissa sexennium in Congregat[i]one uixerit. Caeterum Uisitor in procuratorem eligi non poterit.

5. Post electionem mittendorum agendum est de rebus quae uel Congregationi generali, uel generali Prepositio nomine Prouinciae proponenda sunt. Intelligat autem Congregatio Prouincialis ne consultationis quidem praetexto, atque adeo ut Congregationi generali proponatur, de substantialibus instituti nostri agere sibi integrum esse, sed ijs positis quasi fundamentis, de caeteris, quae ijs conseruandis ac promouendis consentanea uidebuntur.

6. Quando autem agetur de mittendis procuratoribus tria agitabuntur et decernentur 1° utrum Conuentum generalem fieri expediat. 2° quaenam sint prouinciae negotia, quae, quoniam de his nihil statuere potest, Prepositi Generalis conclusionem desiderant. 3° De procuratoris electione, qui Prouinciae sententiam tum de primo puncto, tum etiam de eius negotijs Superiori Generali deferat.

### **De triennali Congregatione seu conuocatione.**

Congregatio triennalis circa decimum quintum Nouembris, nisi aliud tempus Generali magis idoneum uideatur, eaque ex singulis singularum Prouinciarum Procuratoribus, seu deputatis habebitur,

113-114

ob eorum autem Procuratorum, uel deputatorum electionem prouincialis conuentus in singulis Prouincijs ex singularum Prouinciarum {Procuratoribus} Superioribus et deputatis compositus, et a Uisitatore quindecim diebus a Paschate conuocatus celebrabitur. In hoc Prouinciali conuentu ea suffragiorum pluralitate iuxta formam in generali conuocatione negotiorum causa congregata obseruatam, tria agitabuntur, et decernentur. Primum est utrum Conuentum generalem fieri expediat. 2° quaenam sint Prouinciae negotia, quae, quondam de ijs nihil statuere potest, prepositi Generalis conclusionem desiderant. 3. de Procuratoris electione qui prouinciae sententiam, tum de primo puncto, tum etiam de eius negotijs Superiori Generali deferat.

Procuratores autem eo die quo indicta est generalis conuocatio, congregati conferent inter se, et sibi mutuo suarum prouinciarum sententias et rationes de conuentu

Generali conuocando, duorum aut trium dierum spatio declarabunt. Tertio aut quarto post die cum Praeposito Generali in locum destinatum se recipient. Tum Praepositus Generalis questionem hanc, utrum Congregationis negotia generalem conuocationem requirant, proponet, et erit ante dictum Generalem pyxis mensae superposita in qua singuli Procuratores fabam albam uel nigram mittent. Alba partem \affir-\

114-115

affirmatiuam, negatiuam uero nigram {...} significabit {bit} tum primus ex Assistantibus qui Generali assidebunt sumet fabas ex pixide in conspectu caeterorum assistentium, et omnium qui aderunt, easque numerabit ut utrum fabarum numerus Procuratorum

numero sit aequalis deprehendat, postea si numerus aequalis Inonl reperiatur toties fabae in pixidem, donec earum numerus procuratorum numero respondeat mittentur. Tum albas a nigris segregabit, easque numerabit. Si albarum numerus, numerum nigrarum excedat, Superior Generalis alta uoce fore conuentum generalem, si uero nigrae plures sunt, non fore declarabit, quibus peractis, cuilibet prouinciae respondebit et Pro[curato]res ubi primum commode fieri poterit, dimittet.

Obseruandum est dictos Procuratores non teneri sequi sententias, et rationes suarum prouinciarum pro affirmatione uel negatione conuentus generalis habendi, neque etiam quoad negotia et regimen Congregationis, imo eis esse liberum contrariam sententiam dicere.

Hae autem sunt precipuae rationes propter quas Conuentus prouinciales conuocationem generalem habendam esse opinari debent. 1a est ut ponat[ur] ordo diuisionibus in aliqua prouincia ortis. 2a ut in diuersis agendi rationibus quae sensim sine sensu serpsent, Congregatio uniformis reddatur. 3a est ut ijs omnibus rebus remedium adhibeatur, quas Praepositus Generalis tum per Uisitatores, et Commissarios extraordinarios, tum etiam per se ipsum componere non poterit.

116

Ioannes Franciscus de Gondy Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Primus Parisiensis Archiepiscopus Dilecto nostro Uincentio a Paulo Superiori Generali Congregationis Missionis a multis annis per nos approbatae salutem in Domino. Cum nobis pro tua parte exhibita fuerit petitio continens, quod cum felicitis recordationis Urbanus Papa Octauus per bullam erectionis dictae Congregationis sub datum Romae apud S[anctum]. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1632 pridie idus Jan[uar]ij expeditam, et a n[ost]ro off[icia]li fulminatam, tibi et pro t[empo]re existenti superiori generali, ut quotiescumque tibi, aut successoribus tuis expedire uidebitur, quaecumque statuta, et ordinationes, felix regimen et gubernium, directionem et ordinat[i]o[n]em d[ic]t[ae] Cong[regatio]nis Missionis, illiusque do-

morum, personarum, ac bonorum concernentia, licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et constitutionibus apostolicis, Concilij Tridentini decretis, et instituto, et regulae supradictae congregationis Missionis huiusmodi minime contraria, et a nobis, aut a successoribus nostris approbanda, edere et condere possis, et ualeas, licentiam et facultatem perpetuo impertiri dignatus fuerit. Cumque in uirtute dictae facultatis Apostolicae tibi concessae, regulas et Constitutiones in hoc Codice contentas, tam Communes, quam particulares Superioris scilicet Generalis, Uisitatoris et Superioris particularis nec non de Congregatione tum generalium prouincialium electionem dicti Generalis, siue alia magni momenti negotia concernente

117

pro bono dictae tuae Congregationis regimine edidisti et condidisti, easque nobis cum humilissima supplicatione exhibuisti quatenus eas iuxta dictam facultatem ab eodem felicis recordationis Urbano Papa 8 nobis ad illud prestandum tenere dictae bullae concessam approbare ac confirmare dignaremur. Nos praefata auctoritate Apostolica freti, dictae tuae humillimae petitioni annuere et fauere uolentes, praefatis regulis ac constitutionibus per nos uisis, et per aliquos nostri Concilij Doctores Theologos examinatis atque omnes habere conditiones per dictam Bullam requisitas, repertis quippe quae contineant statuta et ordinationes felix regimen et gubernium, directionem, et ordinationem dictae tuae Congregationis, illiusque domorum, personarum, ac bonorum concernentia, eaque licita et honesta, sacrisque canonibus, ac constitutionibus Apostolicis Concilij Tridentini decretis, et Instituto et regulae supradictae tuae Congregationis minime contraria, dictas regulas et constitutiones approbauimus et confirmauimus, ac per praesentem approbamus et confirmamus. Et in quantum opus est regulam illam seu ordinationem in dictis regulis et constitutionibus contentam abhinc duodecim annis a te pro firmiori dictae tuae Congregationis stabilitate ac perfectioni ipsarum regularum et Constitutionum ob-

seruatione editam et conditam, ac per nos ab eo[dem] t[empo]re approbatam et confirmatam de uotis s[ci]l[icet] simplicibus paupertatis, castitatis, et obedientiae et stabilitatis in d[icta] Cong[regatio]ne emittendis, indispensabilibus nisi a summo Pontifice uel a te, aut pro t[em]p[or]e existente Superiore g[e]n[er]ali, quorumque praxis ac usus iampridem in d[icta] Cong[regatio]ne a te introductus

118

et hactenus cum fructu non exiguo continuatus fuit. Nos ead[em] auth[orit]ate Ap[ostoli]ca p[raese]ntium tenore iterum approbamus et confirmamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium, p[raese]ntes propria manu subscripsimus, ac per Archiepiscopatus n[ost]ri Parisiensis secretarium fieri et signari sigillique camerae nostrae iussimus et fecimus approbatione communiri. Datum Parisijs Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio die uero 23 augusti.

Collatio facta est ad suum originale sanum et integrum per Nos Notarios Ap[ostoli]cos Parisijs commorantes subsignatos qua coll[atio]ne facta fuit d[ictu]m originale restitutum {...}

lcuml p[raese]ntibus offerenti. Actum Parisijs Anno D[omi]ni {1654} |1655| 9 Januarij

Legay Roger

Nicolaus ex Comitibus Guidis a Balneo Dei, et Sanctae Sedis Ap[osto]licae gratia Archiep[iscop]us Athenarum, et eiusdem

Sanctae Sedis ad Regem X[ristianissim]um uniuersumque Regnum Franciae Nuntius Ap[osto]licus fidem facimus, et attestamus retroscriptos Notarios esse fide dignos eorumque scriptis l[em]per[ad]hibitam fuisse fidem, et in dies magis adhiberi.

Datum Parisijs die 3 februarij 1655.

Nicolaus Archiep[iscop]us Athenarum

Loco + Sigilli

De M[anda]to sup[radic]ti Ill[ustrissim]i ac R[eu]erendissim]i

D. Domni

Nuntij Simon Orlando pro D.

Secretario

---

<sup>i</sup> Transcrit et édité par le Père Jonh E. RYBOLT c.m.

VINCENTIANA, 1991 : pp. 303 - 406